



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LXXXVIII. De natura gratiæ & variis modis illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

QVÆSTIO XXIII

DE

PRÆDESTINATIONE.

Præfatio in totam questionem.



GGREDIMVR iam perdifficilem de diuina prædestinatione disputationem, quæ usque eo mortalium ingenia male torfit, ut imperiti de ea imprudenter cogitantes, in desperationem quandam adducti: sapientes verò nimio studio & sollicitudine causam inquirentes, ut res humanas cum diuina prædestinatione componerent, in maxima absurda prolapsi fuerint. Entendum igitur nobis est, ita veritatem diuinæ prædestinationis & gratiæ exponere, ut nec hominibus spes salutis adimatur, nec gratiæ, aut diuinæ prædestinationis excellentiæ quicquam derogetur: id quod haud difficile, nedum impossibile censeri debet. Tum quia Deus res humanas non ita disposuit, ut vel hominum mutaret naturam, nulliusque auxilij, & diuinæ gratiæ indigentem crearet, vel eius tolleret libertatem, aut minueret. Tum etiam, quia diligenti Patrum, & Scholasticorum studio, accurataque doctrina iam diu factum est, ut hæreson difficultatibus superatis, multo facilius cum Catholicis controuersia super sit. Verum quoniam multa post Scholasticorum tempora in questionem reuocata sunt, variæque inter eos exortæ opinionones, quas quisque pro sua parte ex Patrum doctrina, tanquam ab eis quoque cum hereticis antiquitus controuersas, confirmare molitur, ne nimia contentione obscurior nobis disputatio reddatur, obnixè Lectorem precor, ut vna mecum in euoluendis Patrum scriptis, atque expendendis, labori non parcat. Atque eo præsertim animum intendat, ut id, de quo tunc in Ecclesia cum hæreticis erat dissensio, historia bene perspecta, diligenter examinet. Hinc enim facile conijciat, an ea, quæ ex Patribus afferuntur testimonia propositæ difficultati accommodata sint. Contra verò, si id ignoret, de quo tunc erat disceptatio, facile putabit multa tunc à Patribus fuisse definita, quæ nec in mentem quidem ipsis venerunt. Quare si in hac re alicui copiosiores quam cuperet, videamur, boni consulat, atque laboris utilitatem, radio prolixitatis anteponat. Vbi autem solum rationibus agendum erit, ipsa vis argumentorum facile ostendet, quid in qualibet Quæstione tanquam rationi magis consentaneum eligendum sit.

DISPUT. LXXXVIII.

De natura gratiæ, & varijs modis illius.

Quid sit gratia per Christum, cap. 1.

Quæ sit gratia per Christum, cap. 2.

Sententia Andree de Vega, & S. Thome, de gratia operante, & cooperante, cap. 3.

Quid de hac re senserint Gregorius Ariminensis, & alij re-
centiores, cap. 4.

Consultatur opinio Gregorij Ariminensis, cap. 5.

Vita Patrum sententia de gratia operante, & cooperante,
cap. 6.

Eadem veritas Augustini testimonijs confirmatur, cap. 7.

Explicantur testimonia Augustini, quæ Gregorius Arimi-
nensis pro se adduxit, cap. 8.

De varijs nominibus gratiæ operantis, & cooperantis, cap. 9.

Quid sit gratia subiectus, cap. 10.

De auxilio efficiat, & efficienti, cap. 11.

CAPVT I.

Quid sit gratia per Christum.



INTER cætera attributa, quæ ratione intellectus, & voluntatis deo assignamus, vnum est prædestinatio, pars quædam prouidentiæ, ut præced. q. dictum est, de qua disputat S. doctor in hac q. 2. Sed quia ad prædestinationem duo pertinent, alterum voluntas, & scientia Dei; alterum temporalis effectus, quem Dei voluntas in nobis operatur, nempe gratia Dei, de qua est potissimum futura disputatio: necessarium duxi, ante omnia aliquid de ipsa præfari, ne ignorantia eius, de quo suscipitur disputatio, facile hallucinemur, & inter Catholicam, falsamque doctrinam discernere nesciamus. Est enim materia hæc de prædestinatione appendix quædam materiæ de gratia Dei; nec aliter Aug. & alij Ecclesiæ Patres

Patres se ea contra hereticos, præsertim Pelagianos, quam de gratia ipsa Dei disputarunt. Communis namque est controuersia, ut disp. 89. & 91. videbimus. Afferamus itaque in hoc cap. definitionem gratiæ Dei, aliquasque eius acceptiones, quas sigillatim quantum præsentis instituti opus erit, sequ. cap. explicabimus, nam ex professo iterum de hac re 1.2. q. 1. c. 9. differemus.

Gratia igitur tribus modis usurpatur à S. Thom. 1.2. q. 1. c. 10. art. 1. primum pro dilectione, qua quis ab alio diligitur; deinde pro dono gratis dato; postremo pro compensatione beneficii ex gratitudine. De gratia vero Dei secundo modo in præsentis folium erit nobis disputandum. Nam gratia primo modo non tam gratia quam gratiæ præparatio dicitur ab Augustino. 1. de prædest. sancti. c. 10. gratia vero tertio modo est ex meritis: quomodo autem esse ex meritis tollat rationem gratiæ, de qua tractaturi sumus, dicemus disp. 91. c. 15. Gratia ergo Dei secundo modo in vniuersum dicitur quodcumque donum à Deo nobis liberaliter datum. Sic videtur generatim definire gratiam Ricardus in 2. d. 4. art. 1. q. 1. Bona. ar. 1. q. 1. Gabriel q. 1. artic. 2. Marfilus in 2. q. 4. art. 1. quibus accedit Sorus in 1. lib. de nat. & grat. c. 2. sub gratia autem hoc modo definita, comprehenduntur donum creationis, aliæque dotes corporis, aut animæ, quas Deus creatione ipsa largitur: quælibet etiam ars & cognitio veri, quam Deus nobis negare posset, res ipsas aliter disponendo. Quare etiam gratia dici posset, hæc generalis significatio conseruatio continua, quæ à Deo sustentatur, & sumus, aer quem respiramus, fructus terræ, & multa alia, quæ nobis ipse donat, tum quia ab initio sic liberaliter rerum omnium causas disposuit, ut ita nobis res proprie cederent; tum etiam quia vel miraculose, vel alio modo talia nobis negare absque ulla iniustitia & ingratitudine posset. Cum ergo confert, liberaliter largitur, & pro eis gratias agere debemus.

Gratia in vniuersum quid.

Ricardus.
Bonauent.
Gabriel.
Marfil.

Augustin.
Pel. 3. Con-
cil. Milouit.
Concil. Pala-
stin.

Hoc genus gratiæ, nimirum creationis, & conseruationis præbatur Pelagius, ut referunt August. Epist. 105. parum à principio, & Patres Concilij Mileuitani cum eodem August. epist. 95. cum in Concilio Palæstino, subdole suam hæresim coram Orientalibus Patribus retractans, dixit, ad singula opera bona necessariam esse gratiam: intelligebat enim donum creationis, & conseruationis, ut ij lem Patres testantur. Afferunt autem cum August. in epist. illa 95. & Hieron. in 1. Dialogo contra pelagianos, & in epist. ad Cyprian. quæ est 139. donum creationis non improbanda quadam ratione dici posse gratiam, pro quo tanto beneficio gratias agere debeamus. Alia est tamen (inquiunt) quæ prædestinati vocamur, iustificamur, glorificamur, ut dicere possumus, si Deus pro nobis quis contra nos? Deinde subiungunt, illam vero gratiam, quæ creati sumus homines, etiam si ita appellandam non immerito intelligimus mirum est tamen si ita appellatam in vllis prophetiis, euangelicis, apostolicisque literis legimus.

S. Thomas.

Deinde prædicti Scholastici, excepto Dominico Sorio, diuidunt gratiam in donum naturale, & gratiam habituale, quæ iusti formaliter redduntur; quæ sane diuisio minus sufficiens est, eorum tamen instituto satis videbatur: agebant enim de gratia, in qua dicuntur Angeli creati, quæ est habitualis. Cæterum S. Th. 1.2. q. 111. & alij Scholastici, omisso quoniam alio creationis dono, diuidunt gratiam per Christum, quæ à SS. Patribus communi-

ter dicitur gratia in auxilium, & in gratiam habituale, atque in gratias, quas gratis datas appellant. de quibus sigillatim suo loco dicemus. Nobis autem nunc solum necessarium est, eam gratiam recte definire, & explicare, quam August. epist. 90. & 95. & 105. atque alij Patres, concedendam esse à Pelagio, contendebant. Est autem auxilium Dei, quod per singulas occasiones quotidie nobis offertur ad recte, pieque viuendum, ad superandas, vincendasque tentationes: quam merito appellant gratiam per Christum, seu gratiam Christi. Nam ut ait August. epist. 105. longe à principio: Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur. Ac si dicat, Christus nobis non meruit dona creationis, sed gratiam recte viuendi. Cum enim omne Christi meritum morte fuerit consummatum, cum asserit August. non fuisse Christum mortuum pro ijs, qui nihil erant, ut conderentur, & fierent, plane dicit, nec alio merito meruisse illis donum creationis; alioqui hæc etiam gratia, per Christum posset appellari.

Porro gratiam recte viuendi, quæ superantur tentationes, Aug. locis citatis & alibi sæpenumero, & concilium Mileu. can. 3. & 5. Cælest. ep. 1. c. 10. Concil. Carthagin. circa tempora Bonifacii. c. 7. vocant gratiam, in qua iustificamur, aut gratiam iustificationis; non quia ea formaliter reddamur iusti, de qua formali & habituali iustitia multi Scholastici canonem illum perperam intelligunt; sed quia ea adiuti per singulas occasiones ad iustificationem mouemur, & disponimur, aut in iustitia semel accepta crescimus. Hanc commendat Paulus in ep. ad Rom. August. & alij Patres locis allegatis, de hac cum Pelagio contenderunt, aut cum de gratia, aut cum de prædestinatione disputant; nunquam tamen de gratia habituali, quam Aug. epist. 105. appellat gratiam remissionis peccatorum. Hanc enim si aliquis esse necessariam fateretur, inquit Augustin. non satis esset: oportebat namque confiteri gratiam absque vllis meritis (intelligit etiam imperatoria) quibus obtineri remissionem peccatorum ibidem asseuerat; eo quod fides eam impetrat.

Vtrum autem hæc gratia recte viuendi solum sit auxilium Dei, quod ad opera virtutum quas Scholastici vocant, confertur; an etiam quod ad recte viuendum moraliter, & tentationes vincendas, nobis donatur, & virtum fides sit initium omnis gratiæ, annon, d. 91. c. 13. dicemus. Nullum tamen auctorem ego legi ex ijs, qui scripta sua typis mandarunt, qui existimet, auxilium gratiæ Christi, de quo hic nobis disputandum est, esse solum ordinis supernaturalis secundum substantiam. S. d. Drie. li. 1. de gratia & libero arbit. tract. 1. c. 1. p. 1. Dom. Sot. li. 1. de nat. & grat. c. 2. & Stapletonius li. 4. de iustificatione. 1. nomine auxilij gratiæ solum intelligunt speciale auxilium Dei ad recte viuendum per Christum nobis gratis collatum. De gratia ergo, quæ omnia etiam imperatoria merita præcedit, disp. Aug. cont. Pelagium. Ea vero est auxilium gratiæ Dei à prima vocatione vsque ad vltimam. Atque hæc duobus alijs modis usurpatur, qui nobis præmittendi sunt, ut modum loquendi Patrum, præsertim ipsius Aug. intelligamus.

CAPVT

Quotplex sit auxilium gratia per Christum.

Gratia igitur, de qua hactenus dictum est, alia est operans, alia cooperans; quarum singulae alijs quoque tribus nominibus vocari solent. Operans dicitur etiam praeueniens, excitans, inspiratio seu infusio: cooperans vero dicitur etiam comitans, adiuvans, & gubernatio, vt infra explicabitur. Denique huic diuisioni tertium aliud membrum adhiberi solet, scilicet gratia sublequentis, quae hoc vniuo nomine solum nuncupatur, tamen est varijs eius significationes, de qua cito dicemus.

Bene video Doctorem S. r. 2. q. 111. a. 2. Alber. in 2. d. 2. ar. 7. Bonau. q. 6. Gab. q. 1. a. 1. no. 2. Marfil. in 2. q. 17. a. 1. not. 2. Alex. 3. p. q. 69. memb. 3. ar. 2. & 3. Anto. 4. p. tit. q. 3. §. 1. & alios Scholast. hanc diuisionem quoque accommodasse gratia habituali vt ea etiam sit operans & cooperans: sed quauis recta ratione gratia habitualis sic distinguatur, & appellari possit, ea tamen diuisio à sanctis Patribus usitata non est. Nam gratiam remissionis peccatorum (sic enim vocat Aug. ep. 105. quam nos habitualem, aut iustificante formaliter dicimus) Patres nusquam diuidunt in operantem, & cooperantem vt recte notauit Andreas de Vega. li. 8. in Concil. Trident. c. 13. sed auxilia ipsa gratiae; quae per Christum nobis conceduntur diuisit primus omnium Aug. in operantis, & cooperantis, vel potius dixit Deum gratia sua quaedam in nobis operari sine nobis, quaedam vero nobiscum: vnde & nomen gratiae operantis & cooperantis usurpatum est. Atque his nominibus passim vtitur, vt contra Pelagianos & Semipelagianos ostendat, initium bonae vitae esse in nobis à solo Deo, vt cap. 6. & 7. exponemus.

Quod vero nonnulli dicunt, gratiam habitualem iuxta mentem Aug. dici posse gratiam operantem, eo quod fiat in nobis sine nobis promerentibus illam, facile confutari potest ex eodem Aug. in Epist. 105. vbi docet, gratiam remissionis peccatorum non esse gratiam illam, quam pelagius concedere debet sine meritis, quia remissio peccatorum non datur sine meritis fidei, vt d. 89. c. 5. ex eodem Aug. referemus. Porro eam solum gratiam diuidunt Patres in operantem & cooperantem de qua cum Pelagio fuit controversia: de gratia autem habituali, nempe de remissione peccatorum non fuit cum illo contentio, vt constat ex ep. 105. Aug.

Gratia operantis & cooperantis meminit Concilium Araus. 2. canon. 9. qui ex sententia Augusti. 22. sumptus est vbi dicitur. *Quoties enim bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur operatur.* Per vocem, *operatur*, ad varias partes periodi relatum, vtrique gratia significatur. Si enim coniungatur parti, *in nobis*, denotat gratiam operantem, si vero coniungatur parti *nobiscum vt operemur*, indicatur gratia cooperantis. Et can. 4. gratiam Dei appellat infusionem, & operationem in nos intelligit gratiam operantem. Et canone 20. qui est apud August. li. 2. contra duas Epist. Pelagianorum. 8. dicitur. *Multa in homine bona sunt, quae non facit homo: vbi notatur gratia operans: Nulla vero facit homo bona quae non praestet Deus vt faciat homo*, vbi significatur gratia cooperans. Sed Aug. plura sunt loca, quorum aliqua infra referemus, vbi vtriusque gratiae mentio fiet.

Vasquez in 1. part. Thomae 1.

Conc. quoque Trid. vtriusque meminit sessio. 6. c. 5. vbi docet exordium iustificationis sumendum esse à gratia praeueniente, sic enim vocat, quam ex Aug. appellamus communiter operantem. Subdit deinde: *hoc est ab eius vocatione, vt per eius excitantem atque adiuvantem gratiam eidem assentiendo, & cooperando, libere disponantur.* Vbi concilium operantem gratiam, nuncupauit praeuenientem, & excitantem; cooperantem vero appellauit adiuvantem, ipsamque esse cooperantem indicauit, cum dixit: *eidem assentiendo & cooperando.* Sic etiam Ber. opus. de gratia & libero arbitrio praeuenientem & comitantem vocauit, quas Conc. dixit praeuenientem, & adiuvantem. Denique Eccl. in oratione Dominica 5. post pascha, operantem vocauit inspirationem, iuxta phrasin Concilij Araus. 2. cooperantem vero appellauit gubernationem: *Large (inquit) supplicibus tuis, vt cogitemus, te inspirante, quae velle sunt, & te gubernante eadem faciamus.* Nisi forsitan nomine gratiae gubernationis intelligat gratiam sublequentem, iuxta illud Prou. 16. *Et domini gubernare linguam;* de quo c. 10. dicemus. Et Conc. Araus. secundum Can. 4. gratiam operantem appellauit infusionem & operationem Spiritus sancti: canone vero 5. & 6. vocauit inspirationem.

Sed cur dicatur gratia operans & cooperans, vel potius dicatur Deus in nobis sine nobis quaedam operari, alia autem nobiscum cooperari: magna est inter Scholasticos controversia. Ad ea vero quae in tota materia de praedestinatione dicturi sumus, plurimum interest hunc modum loquendi, qui ex August. desumptus est, iuxta mentem ipsius sincere, & fideliter exponere. Per multis enim occasio fuit, vt longe aliter quam deberent, de praedestinatione gratiae sentirent, plurimaeque difficultas intellectu defenderent, quod illius doctrinae consentanea esse putarent. Atqui non parum refert, Aug. sententiam de praedestinatione gratiae fideliter amplecti: neque enim ipse aliter de praedestinatione, quam de gratia loquutus est. De gratia vero eius doctrinam summis Ecclesiae Pontificibus, Innocentio, Celestino, & Leone in Conc. Araus. mirum in modum probatam fuisse d. 89. & 91. manifestum erit. Siquid vero videbitur excessisse, d. 98. notabimus.

CAPVT III.

Sententia Andreae de Vega, & S. Thomae de gratia operantis, & cooperantis.

Referam in hoc c. & paucis etiam impugnabo modos, quibus Andreas de Vega, S. Th. & alij explicat phrasin Aug. cum de gratia operante, & cooperante loquuntur. Vega igitur li. 6. in Conc. Trident. c. 8. docet gratiam operantem in nobis esse sanctam cogitationem & primum motum voluntatis, quo subito homo mouetur ad bonum: ait autem hanc gratiam appellari operantem, quia Deus eam in nobis sine nobis, seu ipsa gratia in nobis sine nobis operatur. Illud vero sine nobis quo saepius vtitur Aug. explicat hoc modo. Quia nimirum ad eius productionem solus Deus physice operatur, homo autem passim omnino se habet. Contra vero affirmat eam dici cooperantem gratiam quam nobiscum, hoc est, nobis simul physice efficientibus Deus operatur: hanc autem putat esse in ipso consensu. Sequutus est hic auctor sententiam Nominalium, de qua dicemus 1. 2. q. 3. Nominali a. 2. qui docent, intellectionem, & volitionem à solo

V.

sol.

solo Deo efficiente posse produci, intellectu & voluntate omnino patiente, etiam illa qualitate homo informatus intelligere & velle dicatur: quia hæc operationes non sunt productiones, sed actiones (vt aiunt) grammaticales circa obiectum, & vere sunt qualitates, quæ suo effectu formali reddunt hominem intelligentem, & volentem. Fauent etiam Thomistæ aliqui, qui putant, primum actum voluntatis non effici ab ipsa voluntate, sed à solo Deo, eo quod dixit *S. Tho. 1. 2. q. 9. a. 4.* in eo actu à solo Deo voluntatem moueri, de quo eo loco fusius tractabitur.

Sed præterquam quod hæc explicatio, si meliorem philosophandi rationem sequamur, falsa est, nec secundum mentem *S. Tho.* quod nunc demonstrare necesse non est, locis enim citatis, satis superque de hac re dicemus, nihil cum August. sensu habet commune. Cum enim ille vt excludat omne meritum, & initium boni operis ex nobis, inueniatur quandam gratiam operantem, & præuenientem, quæ est initium meriti, parum curauit, vtrum illa à nobis efficientibus physice sit, an non; dummodo constaret, eam esse ante omne meritum, & esse initium illius: hoc autem recte assignatur, etiam si dicamus omnem operationem intellectus, & voluntatis naturaliter, & absque deliberatione ab ipsis facultatibus physice effici, & produci. Frustra ergo Andreas de Vega eo recurrit, quo nunquam August. disputationem suam direxit, nec ad conuincendum Pelagium sibi opus esse existimauit.

Alio modo explicant gratiam operantem & cooperantem, & qua ratione gratiam operantem dicatur Deus in nobis sine nobis operari, *S. Tho. 1. 2. q. 111. a. 2. Conradus, & Caiet. & recentiores ibidem, Dur. in 2. d. 26. q. 3. Anton. 4. p. tit. 9. c. 3. §. 1. & 2. Sot. 1. de nat. & grat. c. 16. longe à med. Drie. 2. de gratia & lib. arbit. tractatu 1. c. 2. Ruar. Tapper. ar. 7. §. Et quia articulus pag. 299. Asserunt ergo gratiam operantem esse in primo motu voluntatis circa finem etiam libero, ex quo voluntas mouetur ad secundum qui est circa media, & ad actionem exteriorem: nam in secundo actu, qui est circa media, & in actione exteriori iam inuenitur gratia cooperans. Putant autem vocari operantem gratiam, quia ad eum actum nos mouet sine nobis, non quidem physice efficientibus, sed prius alio quopiam actu volentibus: tunc enim homo dicitur se mouere ad volendum vel operandum, quando ex vna voluntate in aliam, vel in ipsum opus mouetur: & tunc gratia dicitur cooperari nobiscum, & nos cum gratia.*

Verum hæc interpretatio, quam alioquin re ipsa veram contineat doctrinam, tamen non quadrat verbis & menti Aug. nam in primum consensum voluntatis liberum non solum gratiam operantem, sed etiam cooperantem concurrere ex multis ipsius testimonijs c. 7. manifestum erit. Atque secundum eius doctrinam contra Pelagium, qua contendit in nobis esse quoddam initium meriti, quod sine nobis Deus operatur, necesse est in primo ipso actu libero circa finem, principium assignare gratiæ operanti, & aliquid etiam cooperanti. Quis enim negabit merita ipsa iam esse gratiæ cooperantis, & non sine nobis? Vt enim dicebatur in canone illo 9. qui est sententia August. 22. *Quoties bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Constat autem in prima voluntate libera circa finem, nos operari bonum opus, &

meritorium: ergo non solum Deus in nobis (scilicet gratia operante) sed etiam nobiscum (scilicet gratia cooperante) operatur: ac proinde gratia operans ex intentione Aug. contra Pelagium, non est in ipso libero consensu, etiam primi actus, sed ante consensum. Verum de hoc latius c. 4.

CAPVT IV.

Quid de hac re senserint Gregorius Ariminensis, & alij recentiores.

Propius ad mentem August. videtur accedere *Gre. Arimin. in 2. d. 28. q. 1. a. 3. ad 12. argum.* Quem, vt apprime in Aug. doctrina versatum, sequuntur complures recentiores. Asserit ergo omne opus intellectus, & voluntatis non solum à Deo fieri, sed etiam à nobis tanquam à secunda causa efficienti physice produci. In bonis autem operibus etiam nostra voluntas cooperetur vt secunda causa, Deum tamen sola sua virtute primo eam applicare ad libere volendum, non solum eam præueniendo prævia cogitatione ex parte intellectus, & primo motu non deliberato timoris aut spei, aut alterius affectus, sed etiam eam impellendo ad consensum liberum. Hunc impulsum & applicationem putat Greg. esse medium quid inter ipsum consensum liberum, ad quem cooperatur voluntas, & primum motum non deliberatum voluntatis, seu cogitationem, quæ ex parte intellectus præcedit illamque applicationem appellat ab Aug. initium boni operis imo ob eam causam (inquit) dicitur Deus facere, vt velimus, & vt faciamus bona, quæ agimus, & vt præcepta seruemus, quia phrasi virtutis frequenter Aug. Confirmat autem multis eiusdem testimonijs.

Primum est lib. de gratia & libero arbitrio c. 16. vbi inquit. *Certum est nos velle, cum volumus sed ille facit, vt velimus bonum.* Et infra: *Certum est nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo virtuti efficacissimas.*

Secundum testimonium est eodem lib. c. 17. in hæc verba: *Vt velimus sine nobis operatur, cum autem volumus & sic volumus, vt faciamus nobiscum operatur, tamen sine illo operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.*

Tertium testimonium est in li. 1. ad Simplicium q. 2. ante medium: *Aliter (inquit) deus præstat vt velimus aliter præstat quod voluerimus, vt velimus enim & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo: quod autem voluerimus, solus præstat. Quo sane modo loquendi manifeste indicat Aug. & Deum solum in nobis sine nobis facere, vt velimus, & vt faciamus. Quod nulla ratione verum esse videtur, nisi quia ipse intime præsens voluntati nostræ, eam applicat primus, & mouet, seu determinat prius natura, quam accedat consensus illius liber ad volendum, & faciendum. Hunc modum loquendi colligit Aug. ex illo ad Phil. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Non dixit Paulus cooperatur, vt solus intelligatur Deus: sed non solus operatur consensum liberum: ergo concedere debemus, initium illius à solo Deo esse, applicationem scilicet illam, & impulsum ad consentiendum, vt explicatum est. Qua ratione dictum quodque putat Aug. in illa q. 2. ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* ac si dixisset Paulus, sed solius Dei miserentis, vt optime deducit ipse Aug. & nos c. 8. explicabimus. At solius Dei esse nequit totus consensus: superest igitur, vt sic solius Dei secundum illam applicationem priorem.*

Ratione

Aliorum sententia.
12
Thom.
Conrad.
Caietan.
Duran.
Anton.
Sotus.
Driedo.
Ruar. dicit.

Ratione vero probatur. Quoniam in consensu nostro duo sunt: & concursus dei & nostri arbitrij concursus vero Dei prior est, vtpote primæ causæ quæ sua operatione prius attingit effectum: ille autem est à solo Deo: ergo est initium aliquod operationis liberæ à solo Deo, præter sanctam cogitationem & primum motum voluntatis.

CAPUT V.

Consutatur opinio Gregorij Ariminensis.

Hanc tamen sententiam non solum in Aug. aut Patribus fundamentum non habere: verum etiam non obscurè rationi, tam à priori, quam à posteriori ductæ aduersari, quoad eius fieri poterit, in sequentibus ostendere conabimur. Primum quid ratio à priori ducta, est manifesta: quoniam operatio nostræ voluntatis liberæ, re ipsa ita est indiuidua operatio, vt licet secundum rationem vitalis, & volitionis, nostræ voluntati, vt propriæ causæ respondeat, & quatenus circa tale obiectum versatur, aut supernaturalis est, auxilio gratiæ, & Deo vt authori tribuatur: qualibet tamen harum rationum in operatione ipsa liberæ voluntatis ita producit, vt non modo vna sine alia re ipsa esse, & produci nequeat, sed neque ordine ipso reali causalitatis intelligere possimus priorem esse in productione rationem genericam, quam specificam, neque specificam, aut particularem, quam genericam: tamen si ordine rationis in re producta nos consideremus prius rationem genericam vitalis, & volitionis, non considerata speciali circa hoc obiectum. Nunc autem agimus de ordine prioris secundum causam, qui realis est quauis non sit durationis: ordo namque inter effectus in genere efficientis, si aliquis est, non in sola consideratione nostra, sed in re ipsa inuenitur. Cum ergo in ipsa actione voluntatis nostræ nulla possit assignari ratio prius producta à solo Deo, quæ sit applicatio ad consensum, & initium illius præter vocationem intellectus & primum motum non deliberatum voluntatis efficitur, nullam aliam esse applicationem voluntatis ad consensum præter vocationem, & primum motum ipsius voluntatis: id quod hoc pacto magis adhuc declaratur, & ostenditur.

Illa applicatio ad consensum, aut est operatio in ipso Deo: & hoc dici non potest quia operatio manens in Deo non est gratia; nam gratia in nobis debet esse, est enim gratia, ipsa donatio, quæ nobis fit. Frustra igitur eam operationem diceremus gratiam operantem.

Præterea in Deo nequit esse aliqua peculiaris operatio applicandi nostrum liberum arbitrium ad opera gratiæ, quæ non sit ad opera naturæ, nisi in nobis sit aliquid circa opera gratiæ, quod non sit circa opera naturæ, vt ex dictis satis constat: in nobis autem nulla est diuersitas operandi ex parte applicationis in operibus gratiæ & naturæ, vt statim patebit: ergo nec in Deo est aliqua peculiaris operatio circa opera gratiæ. Aut applicatio illa est aliqua operatio in nobis, vt aduersarij fatentur, hæc autem non potest esse alia, quam operatio intellectus, aut voluntatis: Porro operatio intellectus alia, quam intellectio; & operatio voluntatis alia, quam volitio excogitari nequit. Cum ergo applicat solus Deus voluntatem ad consensum aut efficit in nobis sanctam cogitationem, & primum motum non deliberatum, & hoc dici non

Vasquez in 1. part. Tomus I.

potest, quia nihil horum sine concursu nostro naturaliter produci potest. Aut facit ipsum consensum liberum, & hoc etiam falsum est, quia consensus liber absq; nostro libero concursu esse nequit, cum libero autem consensu iam est gratia cooperans, sine qua nunquam consensum præbemus vocationi. Aut deniq; aliqua qualitas producit, qua voluntas ultimo determinatur ad consensum & hæc excogitata plane videretur, cum absq; fundamento ponatur. Quinimo, si ideo ponitur, quia Deus vt prima causa applicat voluntatem ad operandum, non modo hæc qualitas aut applicatio in operibus gratiæ ponenda est, sed etiam in omnibus alijs operationibus & causis: cur ergo peculiarem esse volunti in operibus gratiæ? Certe ad intelligendam phrasim Aug. & aliorum Patrum aut scripturæ, superuacanea est, sicut infra dicemus. Vt autem defenderemus concursum priorem dei tanquam primæ causæ: non solum in operibus gratiæ sed in omnibus alijs, etiam ponenda esset.

Deinde ratio à posteriori non minus efficax est. Namque vt fufius monstrabimus disp. 99. c. 3. & 4. ex hac applicatione, qua posita fatentur aduersarij non esse liberum homini resistere, sequi videtur, omnino impediri libertatem nostram. Ea enim posita non potest arbitrium velle, & nolle, ac proinde non manet indifferens.

Ceterum contra Grego. sunt Scholastici non infimæ notæ, qui cum huius applicationis, distinctæ à vocatione, & consensu ipso, mentionem faciunt eam aperte negant, & in primis est Scot. in 2. Scot. d. 37. q. 1. §. Ad solutionem istorum & in 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo versic. ad propositum, vbi non solum docet eam non esse in nobis, sed etiam ex illa nostram libertatem auferri. Consentit Gabriel in 2. d. illa 37. q. 1. ar. 1. not. 1. & Cai. super q. 1. ar. 13. & q. 19. ar. 8. qui vt defendat contra Scot. prima causa necessario operante, non operaturum arbitrium nostrum necessario: docet Deum non prius attingere effectum, quam attingat secunda causa.

Huic etiam applicationi plane aduersatur Ruar. ar. 7. §. Decima propositio, circa finem. Sed & Bernardus elegantissime nostram rationem superius factam, in lib. de gratia, & lib. arbitrio paucis expressit. Loquens enim de gratia ait, Ad hoc vique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur (scilicet arbitrium) ita tamen, quod ab vtroque ceptum est, pariter ab vtroque perficitur vt mixtum, non sigillatim, simul, non vicissim per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium opere indiuiduo peragant. Quibus verbis non solum docet vnum sine alio nihil in consensu operari: sed ab initio ab vtroque consensum indiuidue proficisci. Quantum vero sententia Greg. distet à sensu, & mente Aug. & aliorum Patrum sequenti c. monstrabo. Iam vero ex dictis plane constat, rationem, quam pro se affert Greg. nullius esse momenti: ostensum enim est, primam causam non attingere prius aliquid in effectu, quam secunda attingat: & quod iterum etiam ostendam d. 99. a. 8. & d. 100. c. 3.

CAPUT VI.

Vera patrum sententia de gratia operante & cooperante.

Mirabile sane fuit ingenium Aug. in probanda gratiæ necessitate contra Pelagium. Contra Semipelagianos vero, vtpote viros alioqui insignes, & eximie sanctitatis, nec tam aperte à veritate

tate aberrantes, multo mirabilius. Contra vitio-
que autem, usque adeo magni fecit sanctæ cogita-
tionis inspirationem, ut cum nihil credere, spera-
re, aut amare possimus nisi prius cogitatum: in ipsa
statim sancta cogitatione Christi gratiam agnoue-
rit, & inde non solum contra Pelagium illius ne-
cessitatem ad totam vitam hominis probauerit,
verum etiam contra semipelagianos initium no-
stræ salutis, non ex aliquo nostro bono opere, sed
ex Deo esse efficaciter ostenderit.

Docent igitur Aug. & qui eius doctrinâ postea
sequeuti sunt, gratiam operantem, quam dicunt
Deum in nobis sine nobis operari, esse ipsam san-
ctam cogitationem, quæ est ante consensum, at-
que eodem modo motum voluntatis subitum sine
nostra libertate ex pia illa cogitatione ortum, quo
deterremur à malo, & ad bonum prouocamur: at-
que ita excluditur sententia Greg. Arimin. gratiam
vero cooperantem, quæ deus nobiscum dicitur
operari, dicunt esse in consensu libero, in quo me-
ritum iam reperiunt, an vitæ æternæ condignum,
aut impetratorium alicuius doni. Denique in om-
ni consensu, qui dicitur ad auxilium gratiæ perti-
nere, gratiam Dei cooperantem inueniri existi-
mant, ac proinde contra Driedonem, & alios di-
cendum est, in primo libero consensu circa finem,
gratiam cooperantem reperiiri. Itaque ex horum
Patrum sententia Deus dicitur in nobis sine no-
bis operari sanctam cogitationem, & primum
motum voluntatis non deliberatum, quæ duo sunt
initium bonæ operationis, & salutis nostræ: at
consensum ipsum, quem huic vocationi præbe-
mus, Deus dicitur operari nobiscum.

Hanc vero esse mentem Aug. & reliquorum pæ-
trum ex subiectis testimonijs patebit. Cur autem
ita loquantur c. 9. explicabitur. Verum quia ex eis-
dem testimonijs August. quibus hanc sententiam
probare conabimur, explicabimus ea, quæ Greg.
ex eodem Aug. pro se adduxit, ideo in 7. c. Aug. te-
stimonium recitabimus, nunc vero ex eius disci-
pulis hæc sententia demonstratur.

Primum te-
stimonium
Anselmi.
21
Greg. mag.

Primo igitur Anselm. in illud 1. ad Cor. 15. Sed gra-
tia Dei mecum. Notandum (inquit) quod superna pietas
prius aliquid agit in nobis sine nobis, ut subsequente nostro
arbitrio, bonum, quod appetimus, agat nobiscum. Quæ
verba sunt Greg. magni 16. Mora. c. 10. alias 11. quibus
significatur gratia cooperans in eo, quod arbit-
rium subsequitur: tunc enim dicitur agere nobiscum.
Contra vero gratia operans in eo dicitur ef-
fesse, quia Deus in nobis operatur sine nobis antea-
quam consensus liber adueniat: id quod nihil aliud
esse potest quam pia cogitatio, & motus nondum
deliberatus.

Secundum
testimonium
Bernard.

Secundo clarissime Bernard. opus. illo de gratia &
lib. arbit. non longe à fine, & ipse in hac parte haud
parum Augustinian. plane docet, nostro consensu
nos esse coadiutores & cooperatores Spiritus S.
& promeritores regni: subiungit; Quod per consen-
sum utique voluntarium, diuina voluntati coniungimur,
quibus verbis indicat gratiam cooperantem tunc
esse, cum adest consensus liber nostræ voluntatis,
ne dicamus vni minimam partem illius ad solam
gratiam operantem pertinere: quia nec pars aliqua
illius est, quæ non mereamur. Cum autem mere-
mur, iam sumus coadiutores Dei, & promeritores
regni, ut loquitur Bernard.

Ceterum utramque gratiam diserite satis ex-
presit his verbis: ipsa (nempe gratia) liberum excitat

arbitrium, cum seminat cogitatum: sanat cum immutat
affectum: roborat ut perducatur ad actum: seruat, ne sentiat
defectum. Sic autem ista tria operatur, cum arbitrio ut il-
lud in primo præueniat (nempe cum seminat cogita-
tum) in ceteris comitetur, ab hoc utrique præueniens ut iam,
sibi deinceps cooperetur. Quid clarius quæso dici po-
tuit: nam si post primum, quod est sola cogitatio,
quam Deus seminat, nihil aliud superest, quam ef-
fectus & consensus liberi arbitrij & in primo præ-
uenit, illa profecto erit præueniens gratia, quam ex
Aug. Deus in nobis, sine nobis operatur, quamque
congrua ratione Bernard. præuenientem appellauit,
ut infra explicabitur. Deinde in reliquo, scilicet
nostri consensu, erit gratia comitans, ut vocat
Bern. & cooperans, siquidem, ut ille inquit, ad hoc
præuenit ut deinceps ipsa comitante cooperetur
homo. Sed & præuenientem illam, operantem quo-
que sine nobis secundum phrasim Aug. Bernard. ap-
pellauit Statim n. ait: Hic ergo Deus tria hæc, hoc est bonum
cogitare velle, perficere operatur in nobis. Primum profecto
(scilicet cogitatum) sine nobis secundum (scilicet affe-
ctum & consensum) nobiscum tertium (scilicet actum
seu opus ipsum ad quod perducit) per nos. Dicit au-
tem opus à Deo fieri per nos, quia sumus veluti in-
strumenta à Deo interius mota per affectum, sicut
Rex operari dicitur per ministrum, quem de rebus
agendis instituit. An vero in ipso opere sit alia gra-
tia, quæ dicitur subsequens, c. 10. videbimus.

Tertio accedit Prosper, & ipse antiquior Aug. Episcopus
discipulus, qui li. 2. de vocatione gentium ca. 26. ait
secundum aliam diuisionem c. 9. postquam dixit
gratiam Dei præminere in iustificatione (hoc est
præuenire) suadendo, mouendo, terrendo, inci-
tando, dando intellectum, quæ sunt gratiæ operan-
tis, subdit; Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei
(scilicet gratiæ operanti & præuenienti) atque con-
iungitur quæ ad hoc prædictis est excitata præiudici, ut di-
uino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum,
quod superno semine concepit ad studium. Quibus verbis
in primis, cum dicit voluntatem nostram esse ex-
citata præiudici, appellat gratiam excitantem
præiudicia ipsa, quibus fuit excitata, nempe suasiones
monitiones, terrores & intellectum, quæ sunt san-
ctæ cogitatio, & motus primus voluntatis. Postea
vero cum ait voluntatem nostram coniungi, atque
subiungi, ut diuino cooperetur operi nempe gra-
tiæ operanti; denotat, tunc voluntatem gratiæ co-
operari, cum consentit. Totum ergo consensum
tribuit gratiæ cooperanti, operanti vero cetera su-
perius enumerata, quæ consensum antecedunt.

Adde cum Aug. Hiero dial. 3. cont. Pelag. nouitote
ge à medio, ubi sic ait: Vbi misericordia & gratia efflu-
berum ex parte cessat arbitrium quod in eo tantum est ut
velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum.
Non dixit omnino cessare arbitrium, sed ex parte,
quia misericordia Dei incipit per sanctam cogita-
tionem, quando adhuc non est liber consensus: ar-
bitrium enim solum esse dixit in eo, ut velimus &
cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Concedit
ergo Hier. antequam velimus, misericordiam
Dei, cetera non alia ratione, nisi quia cogitatione
nobis ea proponuntur, quibus præbere debeamus
assensum.

Mitto nunc testimonia Aug. ea enim referam
seq. In confirmationem quoque nostræ senten-
tiæ, & in explicationem eorum, quæ Gregorius pro-
se adduxit, perspicue ostendam contra ipsam Gre-
gor. nullius fuisse considerationis Aug. ut contra
Pelag.

Pelag. & Semipelagianos. disputaret aliud initium gratiæ in nobis asserere, quam sanctam cogitationem, & primum motum voluntatis, aut vt ipse dicit, vocationem. Nec testimonia hæcenus citata quicquam aliud ostendunt.

Porro ad gratiam præuenientem pertinere motum voluntatis non deliberatum, & testimonia Patrum & ratio demonstrat. Primum, id manifeste indicat Aug. in li. 1. ad Simplicianum q. 2. non longe à fine, cum ait, voluntatem nostram ad bonum moueri non posse, nisi aliquid occurrat, quod delectet: hoc autem diuinæ gratiæ ita tribuit, vt dicat non esse in nostra potestate. Hoc testimonium recitabimus sequenti d. c. 6. & li. 2. de peccatorum meritis & remissione ca. 19. gratiam Dei, quæ ita nos præuenit, vt faciat nos consentire, appellat victicem delectationem.

Deinde Prosper in loco paulo ante citato eum tribuat gratiæ præuenienti terrores, & affectum fidei, plane concedit, gratiam operantem esse aliquem affectum voluntatis non deliberatum. Postremo ratio hoc ipsum demonstrat. Nam illustratio ex parte intellectus naturaliter excitare solet affectum ante deliberationem, licet id non semper accidat: quando igitur ita euenierit, affectus ille ad gratiam operantem, & præuenientem pertinebit, quia sine nobis libere consentientibus sit.

CAPVT VII.

Eadem veritas Augustini testimonijs confirmatur.

Multo magis perspicua sunt Aug. testimonia pro hac nostra sententiâ, eo præsertim, quod ipse ex professo explicauerit modum illum loquendi. Deus facit, vt faciamus, de quo nobis est controuersia cum Greg. Arimin. Libro igitur de Ecclesiast. dogmatibus c. 21. Manet (inquit) ad querendam salutem arbitrij libertas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat vel sequatur: & initium salutis nostra Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est. Initium ergo boni operis in eo solum esse dixit, vt Deus inuitet: ac Deus sola cogitatione & primo motu non deliberato, ad consensum inuitare dicitur, ergo sentit, ibi esse gratiam operantem: hanc enim ubique dicit esse initium boni operis: acquiescere autem sanctæ inspirationi, quæ cogitatione inuitabat ad consensum, dicit iam esse nostræ potestatis, intelligit cum gratia dei. Sentit igitur, gratiam dei esse comitem nostri consensus, & nos ipsi cooperari, cum consentimus. Hoc autem contingit etiam in primo motu libero circa finem. Asserere igitur debemus contra Driedonem in omni consensu libero esse gratiam cooperantem, & non solum in secundo & in opere exteriori, atque etiam contra Gregorium, nullum aliud in Aug. initium salutis, & boni operis inueniri, quod gratiam operantem appellat, præter sanctam vocationem, qua ad consensum inuitamur. Quod vero statim subiungit, Vt adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostra est & celestis pariter adiutoris sic est intelligendum, vt ideo velit, solius gratiæ esse adipisci, quod concupitum est, quia solus offert opportunitatem operis per gratiam subsequenter, vt c. 10. videbimus. Verum hic liber non censetur Aug. & sunt aliqui, qui putent esse Gennadij, qui cum Semipelagianis sensit, vt disp. 91. c. 11.

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

diceimus. Quare forsitan consequentem eius, quod desideramus, solius gratiæ esse voluit: quod Massilienses fatebantur, de initio tamen nostræ salutis recte loquitur.

Ceterum contra Driedonem est secundum testimonium eiusdem Aug. magis manifestum 2. li. de bono perseuerantiæ c. 13. in hunc modum: Nos ergo volumus: sed Deus operatur in nobis velle, nos ergo speramus, sed Deus operatur in nobis operari. Vbi eodem plane modo loquitur Aug. de opere exteriori, atque de interiori consensu libero; & de altero dicit, Deum facere, vt velimus: de altero vero facere, vt faciamus. Sicut ergo ex his verbis non licet colligere, aliquod esse opus exterius liberum, quod sit solius gratiæ operantis, & Deus in nobis sine nobis operetur: ita etiam ex eisdem non licebit colligere, aliquem liberum consensum in nobis esse à solo Deo & à gratia sua operante, sine nobis. Loquitur autem eodem modo August. non quia in primo consensu libero circa finem, solum ipse Deus dicatur operari: neque quia ad consensum & ad opus ipse prius nos applicet eo modo, vt committitur Gregorius; sed quia vocationem in nobis sine nobis talem operatur, cum ei placet, vt per illam à nobis eliciat consensum, & opus. Idque plane docuit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa medium, his verbis: Illud autem nescio, quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & persevere pro bona voluntate. Nam si queramus vtrum Dei donum sit voluntas bona, mirum, si negare quispiam audeat. At enim, qui a non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bona voluntatem; propterea vocanti deo recte tribuitur, quod bene volumus; nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non ideo igitur dictum est putandum; Non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus sed ideo potius, qui a nisi eius vocatione non volumus. Diserte ergo docet August. ideo solius Dei miserentis opus nostrum, vel voluntatem, hoc est, quod velimus, quia solus ille præstat, & operatur in nobis vocationem, qua ad volendum allicimur. In ea igitur solum est gratia operans, quæ solius Dei esse dicitur; non autem in consensu ipso etiam primo circa finem, neque in applicatione illa, quam Greg. excogitauit. Aliam enim applicationem nostræ voluntatis ad consentiendum, quæ soli Deo tribuatur, & ratione cuius dicatur opus salutis nostræ esse solius Dei miserentis non cognouit August. præter vocationem, quæ est sola cognitio.

Ceterum qui oppositam sententiam cum Gregorio sequuntur, respondeant, Aug. quidem cum iunior esset, tamen iam Episcopus in ea q. hunc modum sequutum fuisse, at alibi aperte loqui de illa applicatione quæ est initium consensus distincta à cogitatione sola & primo motu non deliberato. Hoc tamen effugium facile præcludi potest. Illis enim in locis à Greg. cit. & si qui alij sunt, solum asserit, Aug. Deum facere, vt velimus, & faciamus. Quem modum loquendi seruauit etiam in quæst. illa ad Simplician. Nec solum ibi explicauit, id dictum esse, quia Deus operatur in nobis vocationem, qua facit, vt velimus; sed etiam alijs in locis, quæ senior scripsit, quibus aduersarij nulla ratione refragari possunt, & nusquam alibi oppositum docuit, aut applicationem illam distinctam à vocatione,

Vv 3 vocatione,

Massilien.

26

Aug. secundum testimonium.

27 Tertium testimonium Augusti.

28

vocatione, vel leuiter insinuat; nisi ut vult Gregorius, communi illo loquendi modo, *Deus facit, ut velimus, & ut faciamus*, qui nullius momenti ad id censeri debet cum eum iam alibi ab ipso Augustino explicatum habeamus.

Quartum Augustini testimonium sola vocatione facti. Deus ut velimus & ut faciamus.

Pelagius.

29 Ad Phil. 2. Quartum testimonium.

Augustinus.

Epistola igitur 107. post principium disputans contra Pelagium, qui cum solam gratiam externæ prædicationis concederet, dicebat, Deum facere, ut velimus; quia sunt nobis nota eloquia sua, sic ait: Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis libero eius adhiberet arbitrio; nec vocatione illa alia, atque secreta sic eius ageret sensum, ut eadem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, &c. Vbi Pelagius dicenti, sola prædicatione Deum præparare, & operari in nobis voluntatem, opponit vocationem altam, & secretam, qua Deus ita agit sensum, ut faciat nos prædicationi assensum præbere. Et ita putat intelligendum illud, ad Philippen. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle*, quod perperam intelligebat Pelagius. Et lib. 1. de prædestinatione sanctorum c. 19. circa medium inquit: Nec quia credamus, vocamur, atque illa vocatione, quæ sine penitentia est, id prorsus agitur: & peragitur, ut credamus. Et in fine. Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa, secundum propositum suum, de qua multa loquuti sumus, ut non inaniter audiant euangelium, sed eo audito conuertantur: eodem modo docuit lib. de spiritu & littera cap. 3. cum ait verum etiam visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus. Atque nihil aliud significauit, cum dixit in *Enchiridion* cap. 32. a Deo præparari voluntatem hominis adiuuandam, & adiuuari præparatam: nempe præparatam alta, secreta, & congrua vocatione. Tribuit ergo Augustinus soli vocationi, quam sine penitentia, aut secundum propositum appellat, & visorum suasioni id, quod contendimus, scilicet Deum operari in nobis velle, & operari. De applicatione vero alia, ne verbum ibi, aut alibi in Aug. reperies. Porro quantum ipse Augustinus commendat doctrinam, quam tradidit in ea quæstio. ad Simplicianum, videbimus infra disput. seq. c. 7. Adde etiam Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 5. ubi ait initium iustificationis sumendum esse à gratia præueniente: explicans autem, quæ sit hæc gratia præueniens inquit: *Hoc est ab eius vocatione*: & nihil aliud gratiæ peruenienti assignat. Quare Alphonsus de Castro aduersus hæreses verbo gratia hæret. aliquanto ante finem agens, de tracta quo dicitur Deus homines ad se trahere, inquit non est aliud, quam internam vocationem, & exhortationem qua mouet Deus voluntatem nostram.

Cæterum obijciunt aliqui nobis hanc rationem. Si deus solum præueniret nostras voluntates vocationis suæ gratia, & non peculiari illa applicatione priori nostro concursu: consequeretur diuinam præuidentiam non esse infallibilem, & certam: quia posita tali vocatione, adhuc liberum esset nobis consentire, & non consentire: ac proinde, ut infallibiliter sequeretur effectus diuinæ prouidentia, necessarium esset, esse aliquid præteritum ex parte Dei, quo posito in nobis, sequeretur necessario effectus diuinæ prouidentia, & infallibiliter. Respondeo aliud esse infallibile, aliud autem necessarium, seu immutabile, ut supra disp. 68. c. 5. notauit. Nam infallibile refertur ad scientiam, & intellectum: & quamuis aliquid sit contingens, &

libertum, quod possit non euenire: nihilominus respectu illius scientia Dei dicitur infallibilis: quia id, quod re ipsa futurum est, non potest non a Deo fieri, & hæc est perfectio diuinæ prouidentia. Præterea quamuis ex diuina prouidentia, qua Deus præfixit auxilium tantum præueniens, non oriatur necessario consensus noster necessitate præcedente: quia Dei prouidentia non tollit libertatem nostram, nec eam impedit, & ita posita prouidentia auxilium tantum præueniens, non repugnet, arbitrium nostrum non consentire: tamen, quia Deus sigillatim etiam definit prouidentia sua concurrere cum nostro arbitrio ad consensum, & prouidentia Dei non potest non consequi id, quod vult fieri: efficitur ut posita hac prouidentia, necessario sequatur consensus noster. Verum, quia, ut ostendimus disput. 99. hæc necessitas non est præcedens, sed consequens, aut comitans nostrum arbitrium: ideo illam conseruat libertatem nostram.

Ex quibus omnibus constat Gregorij opinionem, non solum in doctrina Aug. sed in humana etiam philosophia firmam non habere fundamentum.

CAPVT VIII.

Explicantur testimonia Augustini, quæ Gregorius Arimin. pro se adduxit.

Explicata iam mente Aug. superest, ut respondeamus ad testimonia, quæ Gregorius Arimin. pro sua sententia citauit. Respondeo ergo ad primum de gratia, & libero arbitrio, ideo Augustinus dixisse, Deum facere, ut velimus, etiam si nos velimus, cum volumus: & facere, ut faciamus, etiam si nos faciamus cum facimus: quia tali vocatione secreta nostram præparat voluntatem, ut consensum facile eliciat: sicut hæcenus satis ex eodem Augustino demonstrauimus.

Secundo autem & tertio testimonio idem omnino, & nihil aliud docere voluit. Sed quia contrariis verbis vsus videtur, non nihil amplius in eorum explanationem notare oportet. Lib. ergo de gratia & lib. arbit. c. 17. dicit, *ut velimus, ut faciamus: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus: nobiscum operatur*. Fatetur igitur Augustinus, cum volumus, Deum nobiscum iam operari: ac proinde in consensu libero, ab initio necesse est contra Driedonem & Greg. Arim. cedere gratiam cooperantem, nec minimam partem illius, gratia solum operanti tribuere. Inquit autem, ut velimus sine nobis nobis Deum operari, quia ad hunc finem præparat, seu disponit voluntatem vocatione sua secreta, non quod deus solus faciat voluntatis consensum, cum iam volumus: ipse enim Augustinus oppositum aperte dixit, nempe cum iam volumus Deum nobiscum cooperari, quod est gratia cooperantis. Quare particula *ut* causam finalem hinc denotat, ut prædictum est. Idem significant in tertio testimonio, tametsi verba opposita videantur, & paulo obscuriora sint. In quorum explicationem præca, quæ ibi subiungit, addenda sunt.

Dicit ergo: *Aliter præstat ut velimus, aliter quod voluerimus. Ut velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, post bene agere, & semper beatè viuere. Vbi primum obseruandum est, particula *ut* non significare causam finalem: sicut in præced.*

preced. testimonio; sed poni pro particula, *quod*, quare non facit hunc sensum; ad hoc ut velimus, voluit deus nos cum ipso concurrere, quati ad hunc finem volendi, non solus ipse, sed etiam nos voluntatem nostram preparamus, & disponamus. Hoc enim solus prestat, ut in precedenti testimonio dixit illis verbis, *ut velimus, sine nobis operatur*. Sed sensus est, quod velimus, suum esse voluit, & nostrum. Quod in alio loco superius allegato dixit: *cum autem volumus, nobiscum operatur*. Deinde obiectum in hoc secundo testimonio, verbum illud, *voluerimus*, non esse præteriti temporis subiunctum modi, scilicet, *voluerimus*, sed futuri perfecti eiusdem modi, *voluerimus*, primum, quia aliqui sensus constare non possent cum communi doctrina Augusti. & cum ipsi, quæ in ea quæst. docet, & iam retulimus, si enim dixisset Aug. quod iam antea voluerimus, solus præstitit, excluderet cooperationem nostram à consensu libero in nobis præterito, in quo absque dubio gratia ipsa iam nobiscum operatur. Tum etiam quia si, *voluerimus*, esset temporis præteriti, non dixisset Augustinus, solus præstat, sed solus præstitit. Dicit ergo de præterito, quia deus semper præstat id quod quique in futurum est voliturus. Quod ergo nos in futurum volituri sumus, ipse præstat. Adde, quod ipse satis explicat, se tantum loqui de præparatione, & dispositione ad volendum, cum dixit, *quod autem voluerimus, solus præstat*; subiungit enim statim: *id est posse bene agere, & semper bene vivere*, hoc scilicet præstat. Cum ergo dicat, potestatem bene viuendi à solo Deo esse, indicat id, quod hæcenus diximus, præparationem, & dispositionem, scilicet voluntatis, quæ sit vocatione secunda, à solo Deo esse, & ad solam gratiam operantem referri.

Hinc facile patet sensus Apostoli ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*. Sed de illo, ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, &c.* Pauca dicamus. Hunc locum sic interpretatur Nazian. orat. 1. num. 8. Chrys. & ceteri Patres Græci in illa verba Pauli citata ut dictum sit, non nostrum, sed solius Dei miserentis esse, cor hominis emolliiri, & non indurari. Quia sola voluntas non sufficit, nisi dei gratia adiuuetur. Verum hanc expositionem suppressit auctoris nomine impugnat Aug. in Enchirid. c. 22. & primo illo lib. ad Simplicianum q. 2. paulo ante citata, eo quod si ea esset veritas, eadem ratione dici posset, non est Dei miserentis, sed hominis currentis, & volentis, quia nisi voluntas humanæ gratiæ respondeat, non emollietur: quocirca diuina gratia sola non sufficit. Dicit ergo Augustinus, ideo dictum à Paulo, non esse hominis currentis, & volentis, sed dei miserentis, quia aliquid solus deus operatur, non volente homine, neque currente: vade prouenit ut cor eius emolliatur, & respondeat, nempe vocationem altam, atque secretam. Verba Augustini, iam supra retulimus in hoc capite, ideo ea repetere necesse non est. Qualis autem sit illa vocatio, ratione cuius dicitur Deus misereri, preparare voluntatem, & facere, ut velimus, cap. ult. dicemus.

Ceterum contra id, quod ex lib. de gratia & lib. arbit. cap. 17. adduximus, aliqui obijciunt hoc modo. Augustinus ibi non dixit, *Cum autem volumus, nobiscum Deus operatur*; sed ita, *Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur*. Non ergo quævis voluntas, sed illa solum, quæ exteriùs operatur, ex sententia Augustini, pertinet ad gratiam

cooperantem. Distinxeat autem eo loco duas voluntates, alteram paruum, hoc est inefficacem, qua desideramus bene operari, sed nondum efficere volumus, & hæc dixerat esse etiam à Deo operante: aliam vero robustam, & efficacem, qua quis ad opus procedit, & hæc dicit nobiscum effici à Deo. Et quæ (inquit Augustinus) istam etiam paruum dare cooperantem, nisi ille, qui preparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Atque hoc pacto defendere ad hoc nituntur modum philosophandi Gregor. Atque applicationem nempe illam ad consensum, esse à solo Deo, siquidem soli Deo cooperanti tribuitur consensus voluntatis, non quicumque, sed efficax, & qui tendit ad opus.

Ceterum modus, quem Gregorius excogitauit, & recentiores non pauci sequuntur, hac via defendi nequit. Ille namque non putauit, applicationem ad consensum esse aliquem actum voluntatis, & consensum lib. rum, qualis est voluntas illa parua, seu inefficax: sed in singulis actibus voluntatis, quibus libere consentimus, & meriti possemus putare esse priorem illam applicationem: quare in illa parua voluntate, etiam Gregor. concedit applicationem illam priorem. Deinde Augustinus non solum dicit, facere deum, ut velimus; sed etiam, ut faciamus. Ergo non solum dicitur ratione parue, & inefficacis voluntatis facere, ut velimus; sed etiam ratione robustæ, & efficacis: illa enim inefficax, & parua voluntas non facit, ut faciamus, neque ad efficacem mouet: ac proinde non potest esse applicatio, quam comminiscitur Gregor. Arim.

Augustinus igitur eo loco solum dicit, illam paruum voluntatem esse etiam à Deo operante, qui cooperando perficit, quod operando incipit. Est enim illa voluntas parua à Deo operante per vocationem; sicut etiam efficax hoc modo dicitur esse etiam à Deo operante. Ob id tamen, non negat Augustinus in ea parua voluntate, cum adest consensus, esse etiam gratiam cooperantem, sed solum dixit esse à Deo operante; ne aliquis periret, illam esse solum à nobis, non à deo.

Ex dictis manifeste constat, reiiciendam esse sententiam Andreæ de Vega, lib. 6. super Concilium Trident. c. 7. cum ait, multa nos operari aliquando, quibus ad iustificationem disponimur, sine gratia operante, solo auxilio gratiæ cooperantis. Hæc enim sententia in primis aduersatur Concilio Araficano 2. canone 9. ubi dicitur: *Quoties enim bona operamur, deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*. Illud, *in nobis*, denotat gratiam operantem; illud, *nobiscum*, denotat cooperantem, ut c. notauit. Aduersatur etiam Augustinus lib. de gratia, & lib. arbit. c. 16. *Sine illo operante, ut velimus; vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*. Quibus verbis non significat alterum illorum sufficere; sed alterum ut velimus; alterum vero cum iam volumus. Et sane in operibus gratiæ; quæcumque illa sit; cum fieri nequeant sine pia cogitatione; quæ non fuit in nostra potestate: ita necessaria est gratia operans; sicut cooperans: imo ipsa sancta cogitatio utroque modo vocatur gratia; ut supra à nobis explicatum est.

CAPVT. IX.

De varijs nominibus gratiæ operantis, & cooperantis

Actenus ex Patribus satis ostendimus; quid sit gratia operans: & cooperans. Superest

nunc, ut de varijs nominibus, quibus utraque gratia nuncupari consuevit, aliquid dicamus. Primo igitur gratia illa omnium prima, sancta nimirum cogitatio, & vocatio, dici solet gratia operans, vel potius, ut loquitur Augustinus, dicitur gratia, quam Deus in nobis, sine nobis operatur: nusquam enim legimus, Augustinum vocasse gratiam operantem, & cooperantem, sed quam Deus in nobis operatur sine nobis, aut quam operatur nobiscum. Dixit autem, quam sine nobis Deus operatur: non quia sine nobis efficientibus illam efficiat, ut putavit Vega, neque quia sine præcedenti voluntate, ut docuit Driedo, sed quia communi, & vulgari modo loquendi ea dicuntur in nobis sine nobis fieri, quæ sine nostro consensu, vel ante illum fiunt: vocatio autem est huiusmodi: nam iuxta doctrinam S. Th. 1. 2. q. 1. alia dicitur actio hominis, alia actio humana, aut hominis, ut homo est. Sola autem actio libera dicitur humana, aut hominis, ut homo est: quia in ea peculiaris modus operandi hominis, & rationis, nempe cum indifferentia relucet: in alijs vero solum inuenitur modus operandi cum determinatione ad unam partem, qui est modus naturæ non rationis.

S. Thomas.

Ad Rom. 7.

37

Hoc modo loquendi utitur Paulus ad Rom. 7. ubi de subitis moribus non solum carnis, sed etiam voluntatis dicit: *iam non operor ego illud, sed quod habitat in me peccatum*: non alia certe de causa, nisi quia tales motus in nobis excitantur antequam illo modo consensum illis præbeamus. Considerat enim Paulus eo loco in unoquoque nostrum duos homines, alterum exteriorē, & spiritualem, qui libere operatur, & attendit ad æternas regulas, & rationes, easque considerat: illum vero vocat animale, qui sine libertate in id, quod placet, toto impetu fertur: & quia interior, & liber præcipuus est, ideo quæ sine illo fiunt in nobis, sine nobis simpliciter fieri dicuntur, & nos illa simpliciter non operari. Huiusmodi est vocatio, sancta nimirum cogitatio, & primus bonus motus, quæ non sunt in nostra potestate.

Gratia cooperans quæ & cur sit vocatur.

Secunda vero gratia est cooperans, vel quam Deus nobiscum operatur. Hæc autem esse in quouis nostro consensu libero, etiam primi actus voluntatis circa finem, hæcenus satis probatum est testimonijs patrum, qui in omni consensu dicunt, nos diuinæ gratiæ esse cooperatores, & illam etiam nobiscum operari, ut ita contra modum explicandi Driedonis, & aliorum habeamus non solum gratiam cooperantem esse in secundo actu voluntatis circa media, aut in opere exteriori, sed etiam in primo consensu interiori circa finem: id quod ex testimonijs Augustini perspicuum etiam est. Nunc ergo dicitur gratia cooperans, aut Deus eam nobiscum cooperari, quia iam interior homo noster consensu libero Deo cooperatur, dum gratiæ ipsius libere consentit.

Secundo prima gratiæ, videlicet sancta cogitatio seu vocatio, dicitur gratia præueniens: quia præuenit nos, non quia præueniat omnem nostram operationem (illa enim gratia est vitalis quædam nostra operatio suapte natura, & essentia à nobis pendens, & ita sine nostro consensu fieri nequit) sed quia præuenit omnem operationem liberam. Quare sicut dicitur in nobis sine nobis fieri, hoc est, sine nostro libero consensu; ita etiam dicitur nos præuenire, hoc est, nostrum liberum

consensum. Secunda autem gratia vocatur comitans, quæ cooperans quoque appellari solet: quia iam nos, id est, nostrum liberum consensum comitatur: nam nec illa sine consensu nostro: nec consensus noster sine illa est.

Tertio hac eadem ratione, ut diximus c. 2. prima illa gratia dicitur infusio, seu inspiratio, quia quod nobis infunditur, aut inspiratur, videtur omnino ab extrinseco in nobis fieri: & quia prima gratia est huiusmodi, si cum consensu nostro comparetur, sine quo dicitur nobis conferri: idcirco dicitur nobis, sine nobis infundi, aut inspirari. At secunda gratia dici potest gubernatio, quia cum eam nos cooperemur, recte dicimur ea gubernari.

Quarto denique prima gratia appellatur excitans, quia veluti fungitur munere excitantis aliquem à somno. Nam voluntas nostra, quæ est in somno desidia, aut peccati, clamore vocationis, & sanctæ cogitationis excitatur, & sicut excitatio sic sine consensu dormientis, sic etiam fit gratia excitans in nobis, sine nostra libertate. Hoc gratiæ munus inuenitur in illo Apocal. 3. *Ego sto ad ostium & pulso: si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum. & cenabo cum illo. Stare ad ostium, & pulsare, scilicet per sanctam cogitationem, solus Dei est, & ad excitandam pertinet. Secunda vero gratia dicitur adiuvans, quæ iam ab eo incipit mori, quo quis aperit ostium cordis sui & excitatus à somno, vocanti libere respondet: & denotatur illis verbis: *si quis aperuerit intrabo, & cenabo*, non solus, sed cum eo. Idem etiam denotatur ad Ephesios 5. *Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis*. Ad hoc enim vocat, & excitat gratia Dei, ut à somno surgamus. Liber autem paucis hunc locum Pauli interpretari, eo quod licet primo aspectu nullam præferat difficultatem: si tamen contextum penitus attendamus, difficilis est. Notat igitur in primis Hieron. hanc sententiam, quam citat Paulus tanquam alicuius antiqui scriptoris, in nullis Hebræorum voluminibus reperiri: quare existimat, eam esse vulgatam aliquam sententiam: quæ in ore hominum versabatur: quamque Paulus sua auctoritate canonicam effecerit: ut autem eam explicemus, contextum expendere opus est. Dixerat Paulus, *omnia autem, quæ arguuntur à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est*: nempe mala opera infidelium, quæ supra enarrauerat: hæc igitur dixerat manifesta fieri à filiis lucis, hoc est, à filiis fidelibus, quos vocat filios lucis, dum eorum bonis moribus reprehenduntur, & arguuntur. Sequitur statim, *Propter quod dicit. Surge, qui dormis, hoc est, expergiscere, qui somno peccatorum detinearis: & exsurge à mortuis*, hoc est, à morte peccati: & *illuminabit te Christus*, hoc est, & vita tua secundum normam, & legem Christi, quæ est fructus lucis, & veræ fidei, illustrabit, & revelabit turpitudinem proximi tui, ut videatur ab alijs, & arguatur, quæ propter tenebras ignorantie non apparebat.*

Observandum autem est, verbum, *illuminabit*, hoc loco non denotare id, quod communiter significat: nempe id, quod illustrari à lumine quomodocumque: sicut accidit corpori, quod non habet in se nativum lumen, neque ita in se illud recipit, ut alia illuminare possit: sed sicut in eadem Epistola proxime antea accepit Paulus lumen pro eo, quod est illuminatum, & illustratum, cum inquit, *omne enim quod manifestatur, lumen est*, hoc est, illuminatum.

natum, & illustratum; ita etiam contra in citata sententia asserimus, ut illuminari per eo, quod est fieri ita luminofum, ut illuminare etiam possit: ramer si recepto lumine ab alio: sicut speculum, quod per reflexionem, aut sicut luna, quæ recepto lumine à sole illuminari potest, & detegere ea, quæ in tenebris erant. In Græco est, *ἐν τῇ φανερῇ τοῦ ἡλίου*: ac si verbum per verbo reddas, & illucelceat, seu accipit tibi Christus: & sensus eodem recidit. Cum enim dicitur, *orientur tibi Christus*, intelligitur ut lumine suo tibi communicato, sicut lunæ communicatæ sole, recte possis alia illustrare, & de tenebris peccatorum eruta manifestare, factus speculum diuinæ lucis. Nam alio etiam modo dicuntur peccatores illuminari: nempe dum à lumine honestæ vitæ fratrum suorum eorum peccata deteguntur, & arguntur. Porro, mihi non probatur aliorum expositio, qui illud, *illuminabit*, referunt ad propriam turpitudinem eorum, qui illuminantur, vel sensus sit; illuminabit turpitudinem tuam, ut eam videre possis, hic enim sensus non congruit ijs quæ supra dixerat paulus: nimirum turpia facta filiorum tenebrarum manifestari, & detegi à vitâ honesta filiorum lucis.

Vigetur ad nostrum institutum redeamus, gratia laica secunda dicitur gratia adiutans, eo quod surgere a somno non est solius surgentis, fed eius, & excitantis ipsum. Aperire etiam ostium, saltem inspirationalibus, non est solum consentientis, fed pullantis, & excitantis: ad vtrumque enim gratia requiritur. Id autem manifestum erit, si ostenderimus, vtrum vna & eadem res dicatur gratia operans, & cooperans; praeniens, & comitans; excitans, & adiutans, inspirans, & gubernans, an non. Ex quibus omnibus facile erit contra praedictas opiniones intelligemus, quomodo in quouis consensu libero, etiam circa finem, fit in nobis gratia cooperans, & adiutans, & comitans, & gubernans: at vero operans, & excitans fit in sola cogitatione, non autem in illa applicatione, quam posuit Gregorius, quae nec est secundum mentem Patrum, nec secundum veram philosophiam videtur possibilibus.

Obseruandum igitur est, eandem uocationem, & cogitationem, sanctam, & primum motum uoluntatis libitum, dici gratiam operantem, & praeuenientem, & cooperantem & comitantem eandem (inquam) diuerso modo consideratam: nam quatenus consensum nostrum antecedit, est operans, & praeueniens, quatenus uero permanens in nobis efficit nobiscum consensum, est cooperans, & comitans. Nam ita consensus nostrum est ad Deum, & nobis, ut Deus non solum immediate physice ad illum concurrat, sed etiam media cogitatione illum in nobis efficere dicatur eo modo, quo intellectus uoluntatem mouet, & allicit. Quare quem admodum Iacobi 2. & in Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. dicitur fides cooperari bonis operibus, ac proinde dici debet ipsa fides gratia cooperans ita fanda cogitatio, quatenus nobiscum cooperatur, dici debet gratia cooperans: ob id tamen non affirmamus, gratiam cooperantem esse eandem omnino gratiam cum operante, sed dicimus, esse eandem, & diuersam a gratia operante, & praeueniente in genere gratiae, doni, & beneficii, & habere nouum aliquid in genere rei, nempe effectum: ac proinde dicimus, ipsum influxum uocationis in consensum ad ipsam gratiam cooperantem, & comitantem, sicut actum ipsius pertinere, Ex quo etiam plane

infertur, quemuis consensum liberum, etiam circa finem, qui meritorius esse potest, & pertinet ad pietatem, esse gratiae iam cooperantis, & comitantis nos, ut praedictum est.

Recentiores tamen nonnulli dicunt, gratiam adiuturum esse, non solum vocationem cum concursu Dei, fed etiam habitum supernaturalem gratiæ. Ego vero fateor, ad aliqua opera per hunc habitum nos adiutaritamen cum gratia adiuvans, & excitans necessaria fit ad alia opera, ad quæ talis habitus non requiritur, ideo Augustiniani nomine adiuvantis gratiæ solum intellexerunt vocationem Dei, quatenus efficit, vt voluntas consentiat. Verum, ipse phrasim, & modum loquendi Augustini tenemus, qui nulquam appellavit gratiam operantem, & cooperantem, sed solum dixit, deum quædam bona operari in nobis sine nobis, quædam autem nobiscum dicendum est, donum seu gratiam, quam in nobis Deus operatur sine nobis, esse cogitationem, & motum voluntatis non deliberatum: gratiam vero, quam operatur in nobis nobiscum, esse liberum consensum, nam nostra operatio dicitur donum Dei, ac proinde gratia vt enim ait *Aug. 1. de predest. sancti. Gratia Dei est ipsa donatio.* Cæterum inuenio in Augustino, etiam gratiam aliquid operari in excitanda voluntate, nempe sine nobis reprehendit enim Pelagium lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 19. in principio, quia id negauerit. Id autem ego intellegere de cogitatione, quæ quatenus excitat in voluntate primum motum non deliberatum, dicitur aliquid operari sine nobis ad excitandum voluntatem. Ob id tamen non dicitur ab Augustino gratia operans, neque hoc modo ab eo vocata vquam inuenitur distincta à gratia cooperante.

C A P V T X.

Quid sit gratia subsequens.

Tertium membrum diuisionis, quam 2. cap. ad-
diximus, non modo est Scholasticorum, sed
etiam antiquorum Patrum, quos referemus tam-
etsi Scholastici alio modo, quam Patres illud in-
telligant. Explicare igitur oportet, quid nomine
gratiz subsequeutis, non solum à Scholasticis, sed
etiam à patribus significetur: conferet enim non
mediocriter ad intelligentiam clariorem necessi-
tatis gratiz, circa quam versatur prædestinatio.
Scholastici itaque cum *S. Th. 1. 2. quæst. 111. art. 3. de S. Thom.*
gratia habituali præsertim hoc membrum intelli-
gentis, dicunt quinque effectus esse gratiz: pri-
mum sanare animam: secundum bonum velle: ter-
tium bonum operari: quartum in bono perseque-
rare: quintum ad gloriam peruenire. Quemlibet
autem posteriorem effectum respectu præceden-
tis dicunt congrue appellari effectum gratiz sub-
sequeutis. Allegat pro hac sententia *S. Th. Augusti-
num in libro de natura. & gratia. 3. 1.* Alium tamen esse
illius loci sensum illico demonstrabimus: atque in-
vniuerfum quotiescumque Patres de gratia subse-
quente, & præueniente loquuntur, non vnā re-
latam ad aliam, sed vtramque notā cum compara-
tam, sic vocant, nempe præuenientem, quæ nos
præuenit, subsequeutem, quæ nos subsequitur,
quamuis non semper eodem modo, gratiam præ-
uenientem, & subsequeutem distinguant.

Porro autem hos Patres non distinguere gratiam habituales in præuenientem, & subsequen-

tem, vt Scholastici distinguunt, manifestum est. Nam, vt notauimus ex *epist. 105. Augustini*, ipsi non disputarunt contra Pelagium de gratia remissionis peccatorum, sed de auxilio gratiæ dei mouentis: eam vero, de qua cum Pelagio contenderunt, diuiserunt in præuenientem, & subsequenter: ergo prædicta diuisio gratiæ habitualis in gratiam præuenientem, comitantem, & subsequenter non est secundum mentem Augusti. & discipulorum eius, tamen si vera esse possit, & apud Scholasticos Theologos valde vsitata.

Prior acceptio gratiæ subsequenter ex Augusti. & Fulgenti.

Augustinus igitur eo loco, & Fulgentius libro primo ad Monimum capite 11. de auxilio tantum gratiæ, quod vocant actuale, non de habitu, quem appellant gratiam remissionis peccatorum, tertium illud membrum accipientes, gratiam præuenientem, & subsequenter hoc modo distinguunt, vt præueniens dicatur, non quæ præuenit consensum per singula bona opera, etiam in iustificatis, sed quæ præcedit iustificationem, vt à peccato sanemur: subsequens vero dicatur quælibet alia, quæ nobis datur, etiam per singula opera ante nostrum consensum, vt in iustificatione perseveremus, vegetemur, & ad gloriam perueniamus. Verba Augustini eo capite sunt, *Præuenit* (scilicet gratia Dei) *vt sanemur. & subsequitur, vt sanati vegetemur: præuenit, vt vocemur, subsequitur vt glorificemur: præuenit, vt pie viuamus; subsequitur, vt cum illo semper viuamus.* Cum dicit, præuenit, vt sanemur, non intelligit, ipsam sanationem à peccato esse effectum formalem præuenientis gratiæ, sed inquit, auxilium gratiæ præuenire nos, vt ad iustificationem præparemur. Quare non dixit, præuenit sanando, sed præuenit vt sanemur. Deinde gratia subsequitur sanationem, vt in ea vegetemur, perseverantes in bonis operibus. Ceterum non inficior in Augusti. aliquando reperiri sanationem nostræ voluntatis ante iustificationem per ipsum solum auxilium gratiæ, quo ad bene operandum præparamur. Hanc vero sanationem ipse intelligit, non à peccato, sed ab infirmitate, quam per peccatum contraximus. In hunc sensum sæpius dicit, liberum arbitrium ad pietatis opera nihil valere, nisi prius sanetur, eo quod in primo parente meruimus amittere omne auxilium gratiæ, & sanctam cogitationem, vt inquit *Fulg. libro de incarnatione & gratia. c. 12. & 13.* quare cum per Christum restituitur nobis, ab infirmitate sanamur. Loco tamen proxime citato per sanationem intelligit Augusti. iustificationem ipsam: & ideo dixit, *Præuenit, vt sanemur, subsequitur* (scilicet ipsam iustificationem) *vt vegetemur.* Deinde dicit, *præuenit vt vocemur* (ad iustificationem vide licet) *subsequitur, vt (perseuerantes) glorificemur.* *Præuenit, vt pie viuamus* (vique quo scilicet iustificemur) *subsequitur* (nempe iustificatos) *vt cum illo semper viuamus:* hoc est, vt in ea iustitia perseverantes, vitam æternam cum Christo consequamur.

Quæ ratio ne dicat aliquando Augusti. voluntatem sanari solo auxilio gratiæ.

Fulgenti.

Clarius hoc modo distinxit Fulgenti. cap. illo 11. gratiam præuenientem & subsequenter: *Præuenit* (inquit) *impium, vt fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius. Præuenit elisum, vt surgat: subsequitur eleuatum, ne cadat.* Atque hoc patet, gratiam subsequenter non dici respectu præuenientis, nec contra; sed ad nos relatum dici quidem præuenientem, quæ nostram iustificationem antecedit, subsequenter vero, quæ iustificationem subsequitur.

Secunda acceptio gratiæ subsequenter ex Augusti. & Fulgenti.

Alio modo viurpatur à patribus gratia præueniens, & subsequens: vt præueniens dicatur, quia

præuenit per singula opera consensum nostrum: quia diximus supra hac ratione vocari etiam operantem, & excitantem: comitans vero dicatur, quia simul est cum consensu nostræ voluntatis: quia ratione dicta est etiam cooperans: & adiungens de quibus satis superque superius diximus: tertia denique gratia subsequens appellatur, quia subsequitur voluntatis consensum, præbendo opportunitatem, & occasionem boni operis, quod voluntas efficere desiderabat. Ex quo etiam constat, has tres gratias respectu nostri consensu sic appellari, non autem quia inter se comparentur.

Hac significatione utitur Concilium Tridentinum denotans gratiam subsequenter, sessione 6. cap. 16. vbi de gratiæ Christi influxu in iustificatos, sic ait: *Qua virtus bonorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Manifestum enim est, non loqui Concilium de gratia habituali: tum quia dicit, eam à Christo in iustificatos, veluti à capite in membra, & à vite in palmites iugiter derivari: gratiam autem habitualis non ita iugiter derivatur in iustificatos, vt certum sit omnia opera iustorum subsequi: id enim adhuc est inter Scholasticos controuersum: tum etiam de gratia, quam iugiter influit Christus dicit Concilium *Antecedit, & comitatur, & subsequitur*; at gratiæ habitualis augmentum, etiam si iugiter daretur, non præueniret, nec comitaretur bona opera, sed subsequeretur. Cum igitur triplex ille influxus virtutis à capite Christo in membra sua iugiter derivatus distingui non possit in gratia habituali, sed tantum in auxilio actuali: quia gratia habitualis non datur iugiter, vt præcedat, & comitetur bona opera: sequitur illam triplicis gratiæ diuisionem esse intelligendam de gratiæ auxilio actuali. Adde, quod cum Concil. ibi loquatur de applicatione meritorum Christi ad singula merita, quæ fit per auxilia gratiæ, quæ ad singula merita nobis conferuntur, vt 1. 2. q. 114. art. 4. ostendimus, intelligi nullo modo potest de gratia habituali. Reliquum ergo est, vt loquatur de auxilio, de quo tria illa dicit: quibus non solum triplicem gratiam, quam retulimus, expressit, sed etiam quamlibet earum, respectu nostri consensu sic appellari, plane indicauit. Hoc eodem modo loquitur Scriptura *Psalm. 58.* *Et misericordia eius præuenit me. Psalm. 22.* *Et misericordia eius subsequetur me.* Ex *Psalm. Ecclesia in oratione Dominicæ 16. post Pentecost.* *Tua* (inquit) *nos Domine gratia semper præueniat, & sequatur, ac bonis operibus, iugiter præstet effectum:* vbi præueniens, & subsequens respectu nostri consensu dicitur.

Porro subsequenter gratiam dici, quia præbet opportunitatem boni operis, quod quis desiderio concepit, præuenientem vero, quia præcedit desiderium, colligitur ex Augustino in *Enchirid. cap. 32.* *Præcedit* (inquit) *bona voluntas hominis multa dona Dei, sed non omnia: nam utrumque legitur in sacris eloquiis: & misericordia eius præuenit, & misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit, vt velit. (hæc est gratia præueniens consensum) volentem subsequitur, ne frustra velit: hæc est gratia subsequens, quæ præbet opportunitatem operis. Quid enim est, ne frustra velit, nisi vt opere exequatur, quod desiderat? Dicitur itaque ex Augustino subsequens, quia sequitur consensum, & quia voluntati præbet opportunitatem operis. Id enim indicare videtur *lib. 2. contra duas Epist. pelagianorum cap. 9. ante medium, & circa finem* cum*

cum ait, gratia Dei subsequente adiuvare studium nostrum, quamvis etiam illud incipere nequeat sine gratia. Sanctus quoque Gregor. in 2. lib. Moral. c. 10. aliter, in eundem sensum dixit sanctos viros, cum bene operantur, de accepto munere esse Deo debitorum, Qui & praeueniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo dedit bonum esse, quod voluit. Cum dicit, dedit bonum velle, quod noluerant, denotat gratiam praeuenientem consensum ipsorum, ut velint: sicut cum dicit Augustinus, Nolentem praeuenit, & velit: quando vero subdit, subsequendo concessit bonum posse, significat subsequentem gratiam, quatenus facit, ut oblata opportunitate boni operis, exsequi possint, quod desiderant.

Denique Fulgentius, & ipse studiosus Augusti discipulus, de quo eius doctrina bene meritis lib. 1. ad Monimum c. 9. sic ait: ipse enim (scilicet Deus) donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius illuminatur munere bona voluntatis, & facultate bonae operationis, ut praeueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum, quod vult, facere valeat: quo nihil clarius pro hac nostra sententia dici potuit. Et eodem lib. c. 11. inquit: praeuenit (scilicet Deus) homini donans bonam voluntatem, subsequitur bene volentem operando in illo operis facultatem.

Ceterum quare aliquis, Post bonum desiderium operis, si illud efficax & robustum est, ut loquitur Augustus, quae alia noua gratia esse potest, quae praebeat opportunitatem boni operis? Nam & propositum efficax sine opere quando opportunitas non conceditur, tanti meriti apud Deum est, quanti esset cum opere, ut communis fert opinio Scholasticorum cum S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 1.

Respondeo primum, ceteris paribus affectum efficacem operis sine ipso opere quando in potestate nostra non est operari, esse tanti meriti, quanti esset, si haberet effectum. Verum quia, cum non adest opportunitas operandi, homo facile cessat à desiderio, & de ea re amplius non cogitat: oblata vero opportunitate firmatur in proposito, & feruentius in eo perseverat: ideo opportunitas operandi, quam Deus sine nostro studio, & diligentia nobis prae manibus offert, est nouum donum, & beneficium, & ideo noua gratia, quae dicitur consequens, quia post nostrum desiderium nobis tribuitur.

Præterea est alius effectus gratiae subsequentis non contemnendus: nam firmum propositum de re conceptum multis, varijsq; impedimentis, tam exterioris aliarum rerum, quae occurrere possunt, quam interioris diuersarum cogitationum perturbari potest, & retardari: ita ergo deum gratum esse nostrum desiderium, ut ipsi Deus remoueat omnia hæc impedimenta, & conferret in nobis sanctam cogitationem quousque moueat ad opus, inter gratias Dei iure optimo connumerari debet.

Ad hanc doctrinam alludere videtur Hieron. Dial. 1. contra Pelagian. non longe à medio, cum inquit: Vbi autem est misericordia Dei, ex parte liberum cessat arbitrium, & paulò post, iam in Domini potestate est, vbi, quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus. Vbi nouam gratiam agnoscit, quoties opere exequimur id, quod desideramus. Probat vero exemplo Alisteri Regis, qui varijs cogitationibus distractus post epulas, quando somnus multo facilius esse solet, dormire non potuit, ita disponente Deo propter redemptionem populi sui. De hac gratia intelligitur illud Psal. 16. perice gressus meos in semitis tuis, ut non moueantur

vestigia mea: & illud Prou. 16. Hominis est animam praeuolare, & Domini gubernare linguam. Et iterum: Cor hominis disponit viam suam, sed à Domino gressus diriguntur. Vbi particula, sed, & particula, & quae diuidere videntur ea, quae nostrae sunt, seu in quibus partem habemus, ab ijs, quae solius Dei sunt, denotant directionem linguæ post cogitationem, & propositum, & directionem gressuum esse à solo Deo, iuxta sententiam Apostoli ad Roman. 9. quam exponit August. q. 2. lib. 1. ad Simplician. sicut 7. cap. vidimus. Non est currentis nec volentis, sed Dei misericordia: ac si dicat, sed solius Dei misericordia. Solus ergo Dei dicitur gubernatio linguæ, & directio gressuum post propositum cordis: quia solius est Dei auferre externa, & interna impedimenta, quae gubernationem linguæ, & directionem gressuum impedire solent. Hæc igitur iure optimo dicitur gratia subsequens, quae homo opere ipso confirmatur, & perficitur in bono proposito, & ablatis impedimentis, in eo usque ad opus perleuerat.

Hæc expositio prædicti testimonij Prouerb. 16. optime colligitur, ex doctrina tradita ab Augustino, quam superius adduximus, ideoque mihi probatur, tamen ipsi Augustino hic locus difficilis visus fuerit lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. & ideo alio modo conetur eum transferre, ut ipsum interpretetur.

Postremo notandum est hanc gratiam, quae relata ad nostrum desiderium dicitur subsequens, aliquando etiam collatam cum ipso opere appellari comitantem, quia opus ipsum comitatur. Sic in oratione secreta pro iter agentibus orat Ecclesia: Et viam illorum precedente gratia tua dirigas, & subsequente comitari digneris. Vbi cum dicit viam comitari, indicat eam gratiam esse comitem viæ, quæ si comparatur cum desiderio, est subsequens, sed & Bernardus hanc triplicem gratiam alio modo distinxit lib. cui titulus est, Modus bene viuendi, serm. 3. aliam dicit, quæ praeuenit consensum, aliam quæ comitatur, aliam quæ est simul cum ipso opere. Primam appellat antecedentem: secundam comitantem: tertiam, cooperantem, quam hactenus ex alijs Patribus subsequentem vocauimus, & hæc de varijs modis & nominibus gratiæ dicta sufficiant, ut phrasim Sanctorum & Scripturæ intelligentes, sciamus quid Deo, quid vero nostræ libertati in operibus gratiæ tribuendum sit, eamque illam omnino tueamur. Nam ad quæ opera necessaria sit gratia, 1. 2. q. 109. fusius tractabitur. Solum superest, ut aliam diuisionem gratiæ, quæ etiam in hac materia de prædestinatione frequens est, sequenti cap. breuiter tradamus.

CAPVT XI.

De auxilio gratiæ efficaci, & sufficienti.

Auxilium praeueniens, quo vocamus & inuitamur ad bonum, dupliciter assignatur à Theologis Scholasticis. Alterum est efficax, quod effectum habet in nobis: alterum quod posset effectum habere, & non habet. An vero efficax ita habeat effectum, ut possit ei nihilominus arbitrium resistere, dicemus disp. 98. cap. 6. inefficax porro appellari solet sufficiens. Vtriusque meminit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11. circa medium his verbis: Ista gratiam nunquam habuit primus homo, quæ nunquam vellent esse malus: sed sane habuit, in qua, si permanere vellent, nunquam esset malus, & sine qua etiam

Prouerb. 16.

Rom. 9.

Gratia subsequens alia ratione dicitur comitans ab Ecclesia.

48

Auxilium efficax & inefficax in August.

LXXXVIII

49

cum libero arbitrio bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deferere posset. & paulo inferius: Dederat adiutorium (scilicet Adamo) sine quo, in ea (nempe bona voluntate) non posset permanere, si vellet. Vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio: posset ergo permanere, si vellet; quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet.

Prosper.

Observandum tamen est, auxilium, quod Scholastici efficax vocant, interdum à Patribus sufficiens appellari. Sic Prosper. 2. de vocat. Gent. cap. 15. alias 3. illud appellat, cum ait: Adhibita semper est vniuersis hominibus quedam superna mensura doctrine, qua estis parcius, occultiorique gratia fuit, sufficit tamen, sicut Dominus indicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: vt euidenter appareat, quod nisi ubi abundauit delictum, abundaret & gratia, nunc quoque vniuersum genus humanum similis obcaecaret impietas. Cum distinguit Prosper eos, quibus sufficit ad remedium, ab istis, quibus sufficit ad testimonium: plane indicat illos, quibus fuit sufficiens ad testimonium, tali auxilio potuisse saluari, alios vero, quibus sufficiens fuit ad remedium, illo fuisse salutem consequutos.

August.

50

Aliter utrumque adiutorium gratiæ distinguit August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. duplicem enim inquit esse vocationem, alteram congruam, cui ita contemperatur, arbitrium vt respondeat: nam cum illi, qui hac vocatione vocantur, dicantur ab ipso August. congruenter vocati, possumus eam congruam vocationem appellare. Atque ab anno 1578. quo primum materiam de prædestinatione publice docui, sic eam semper appellavi, quæ sane nuncupatio alijs doctioribus postea non displicuit: quia vero alij ita vocantur, vt non congruant, nec contemperentur vocationi, altera vocatio, horum nimirum, qui non respondent, nec contemperantur vocationi, dici potest non congrua. De hac inquit in ea quæst. Ad alios quidem vocatio peruenit; sed quia talis fuit, qua moueri non possent, &c. Quæ verba duriora quidem sunt, sed de hoc aliisque August. testimonijs multa dicemus disp. 97. cap. 6. illam vero congruam, & efficacem vocationem, quam Augustin. mirum in modum extollit, quoties de gratiæ necessitate contra Pelagianos, & Semi-pelagianos disputat, multis nominibus appellat, multaque ei peculiaria epitheta tribuit. Vocat secretam, & altam vocationem, in ep. 107. quia alto, & secreto Dei iudicio quibusdam ex misericordia confertur: appellat etiam secundum propositum libr. 1. de prædestin. sanctorum. capit. 3. & 19. & de corrept. & gratia capit. 7. & libr. 2. contra duas epistol. pelagianorum capit. 9. Propositum vero intelligit iustificandi, vt explicat in libr. 1. ad Simplic. quæst. 1. ante medium. Quia ergo hac vocatione efficitur iustificatio, ideo appellant eam secundum, propositum. Libro autem 1. de prædestin. sanctorum. cap. 19. communi quadam ratione eam nuncupauit vocationem sine penitentia; eo quod dona Dei sunt sine penitentia, hoc est, Deum non penitet eius, quod semel decreuit, aut donauit. Denique libr. 2. de peccatis. & remiss. cap. 19. vocat certam scientiam: quia Deus optime nouit effectum habituram: vel quia certa quadam cognitione minime perturbata ostenditur nobis per eam vocationem bonum ipsum. Appellat etiam victricem delectationem, eo quod vincat voluntatem, & ad se liberam trahat per delectationem superatis omnibus dif-

ficultatibus. Dixerat enim, peccatum accidere, aut ex eo quod ignorantia est in intellectu, hoc est, defectus cognitionis; aut quia bonum cogitatum, quod à peccato retrahere deberet, non delectat.

Per hanc inquit primo August. misereri Deum eorum, quorum miseretur, nec frustra eorum misereri, eo quod gratia hæc semper effectum consequitur in eo, quem vocat de ea intelligens illud Exod. 33. & ad Rom. 9. Miseretur cuius miseretur. & cuius vult miseretur. Ita loquitur in q. illa 2. ad Simplic. Secundo dici solet ab August. hac gratia præparari voluntatem à Domino. Hoc modo loquendi videtur Aug. & libr. 2. contra duas epistol. Pelagianorum cap. 9. in principio, & libr. 1. de prædest. sanctorum c. 6. & Concilium Arausic. secundum can. 4. ex illo Prouer. 19. secundum translationem 70. Et præparatur voluntas à Domino: ubi vulgata legit, & habuerit salutem à Domino: dicitur autem voluntas præparari, hoc est, disponi: sed quia Deus facit in tempore, vt nos velimus, cum congrua vocatione nos præuenit, vt cap. 8. notatum est; ideo præfiniendo illam congruam vocationem, præparat æterno suo decreto, hoc est, prædestinat voluntatem nostram: vt notauit Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 8. quem referemus disp. 89. ca. 8. dicitur etiam per illam in tempore præparari voluntas, hoc est, disponi. Tercio dicit August. per hanc conferri nobis potestatem, filios Dei fieri: libr. 2. de bono persequi. cap. 8. & 1. tract. 6. 2. Denique ratione huius gratiæ sic præuenientis, & excitantis voluntatem, intelligit August. illud Ioann. 6. Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & in libr. 1. de prædest. sanctorum cap. 8. de eadem Fulgen. lib. 1. ad Monimum cap. 8. & 14. explicat illud Ezechiel. 36. Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & Aug. lib. de prædest. sanct. c. 11. & nos etiam possumus illud Prouer. 21. eodem modo explicare: Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu domini. Et hæc quidem de gratia diuinitus sufficiat.

Prima pars Quæstionis 23. de his, qui pertinent ad prædestinationem.

Iam veto doctrinam singulorum articulorum examinemus. In quorum expositione ordinem, quem tenuit Sanctus Thomas, non seruabimus; sed rerum, quas tractat: vt prius circa illos articulos disputemus, in quibus de prædestinatione agitur; deinde circa eos, in quibus de reprobatione; tandem circa illos, qui doctrinam vtriusque communem continent. Circa singulos tamen nihil, quod annotatione, aut disputatione dignum fuerit, prætermittimus: & ita totam quæstionem in tres partes prædictas diuidere, operæpretium duximus.

ARTICVLVS I.

Utrum homines prædestinentur à Deo.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod homines non prædestinentur à Deo. Dicit enim Damascenus in 2. libr. Oportet cognoscere Deum, quod omnia quidem præcognoscit Deus. Præconem autem omnia prædeterminat. Præcognoscit

gnoscat enim ea, quæ in nobis sunt, non autem prædeterminat ea: sed merita & demerita humana sunt in nobis in quantum sumus nostrorum actuum domini per liberum arbitrium. Ea ergo, quæ pertinent ad meritum vel demeritum, non prædestinantur à Deo. Et sic hominum prædestinatio tollitur.

2. Præterea, Omnes creaturæ ordinantur ad suos fines per diuinam providentiam, ut supra dictum est. Sed aliæ creaturæ non dicuntur prædestinari à Deo. Ergo nec homines.

3. Præterea, Angeli sunt capaces beatitudinis, sicut & homines. Sed Angelis non competit prædestinari, ut videtur, cum in eis, nunquam fuerit miseria: prædestinatio autem est propositum miscendi, ut dicit August. Ergo homines non prædestinantur.

4. Præterea, Beneficia hominibus à Deo collata per Spiritum sanctum viris sanctis reuelantur, secundum illud Apostoli. Corinth. 2. Nos autem non spiritum huius accepimus mundi, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Si ergo homines prædestinantur à Deo, cum prædestinatio sit Dei beneficium, esset prædestinatis, nota sua prædestinatio. Quod patet esset falsum.

Sed contra est, quod dicitur Romanos 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit.

Respondetur dicendum, quod Deo conueniens est, homines prædestinare. Omnia enim diuinæ providentiæ subiacent, ut supra ostensum est. Ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare, ut dictum est. Finis autem, ad quem res creata ordinatur à Deo, est duplex. Vnus, qui excedit proportionem naturæ creatæ & facultatem, & hic finis est vita æterna, quæ in diuina visione consistit: quæ est supra naturam cuiuslibet creaturæ, ut supra habitum est. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus: quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ. Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire: oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta à sagittante mittitur ad signum: unde proprie loquendo rationalis creatura, quæ est capax vitæ æternæ, perducitur in ipsam quasi à Deo transmissa. Cuius quidem transmissionis ratio in Deo præexistit, sicut & in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicuius fendi in mente auctoris existens est quædam præexistentia rei fiendæ in eo. Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur. Nam prædestinare est mittere. Et sic patet, quod prædestinatio quantum ad obiecta, est quædam pars providentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascen. nominat prædeterminationem impositionem necessitatis: sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quod subdit, non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Unde prædestinatio non excluditur.

Ad secundum dicendum, quod creaturæ irrationales non sunt capaces illius finis, qui facultatem humanæ naturæ excedit. Unde non proprie dicuntur prædestinari: & si aliquando abusue prædestinatio nominetur respectu cuiuscunque alterius finis.

Ad tertium dicendum, quod prædestinari convenit Angelis, sicut & hominibus: licet nunquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Nihil enim refert quantum ad rationem dealbationis, utrum ille, qui dealbatur fuerit niger aut pallidus vel rubeus. Et similiter nihil refert ad rationem prædestinationis, utrum aliquis prædestinetur in vitam æternam à statu miseriæ, vel non. Quamvis dici possit, quod omnis collatio boni supra debitum eius, cui confertur, ad misericordiam pertineat: ut supra dictum est.

Ad quartum dicendum, quod etiam si aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatio reueletur, non tamen convenit, ut reueletur omnibus: quia sic illi, qui non sunt prædestinati desperarent: & securitas in prædestinatis negligentiam pareret.

Conclusio est affirmans, & de fide ad Romanos 8. Circa doctrinam vero articuli, si quid erat notandum, tractauimus supra disputatione 87. cap. 3. videlicet, quid significet prædestinare, utrum sit operatio intellectus, an voluntatis, & quo pacto cum providentia in uniuersum conferatur.

ARTICULVS II.

Utrum prædestinatio aliquid ponat in prædestinato.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod prædestinatio ponat aliquid in prædestinato. Omnis enim actio ex se passionem infert. Si erga prædestinatio actio est in Deo, oportet quod prædestinatio passio sit in prædestinatis.

2. Præterea, Orig. dicit super illud Roman. 1. Qui prædestinatus est, &c. Prædestinatio eius est, qui non est, sed destinatio eius est, qui est. Et August. dicit in lib.

X x

de

de prædestinatione sanctorum. Quid est prædestinatio, nisi destinatio alicuius existentis? Ergo prædestinatio non est nisi alicuius existentis, & ita ponit aliquid in prædestinato.

*Lib. de bono
perseuerantia
6, 14. tom 7.*

3. Præterea. Preparatio est aliquid in preparato. Sed prædestinatio est preparatio beneficiorum Dei, ut dicit August. in lib. de prædestinatione sanctorum. Ergo prædestinatio est aliquid in prædestinatis.

4. Præterea. Temporale non ponitur in definitione æterni. Sed gratia, quæ est aliquid temporale, ponitur in definitione prædestinationis. Nam prædestinatio dicitur esse preparatio gratiæ in præsentis, & gloriæ in futuro. Ergo prædestinatio non est aliquid æternum. Et ita oportet quod non sit in Deo, sed in prædestinatis. Nam quicquid est in Deo, est æternum.

*Lib. 2. qui est
de bono per-
seuerantia,
cap. 14. tom 7.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, quod prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei. Sed præscientia non est in præscitis, sed in præsciente. Ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in prædestinante.

Art. præced.

Respondendo dicendum, quod prædestinatio, non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum. Dictum est enim, quod prædestinatio est quædam pars providentiæ. Providentia autem non est in rebus provis, sed est quædam ratio in intellectu prouisoris, ut supra dictum est. Sed executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, passive quidem est in gubernatis, active autem est in gubernante. Vnde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente diuinæ existens: executio autem huius ordinis est passive quidem in prædestinatis; active autem est in Deo. Est autem executio prædestinationis vocatio & magnificatio, secundum illud Apostoli ad Rom. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & magnificavit.

*Q. 14. art. 4. &
18. art. 3. ad 1.*

Ad primum ergo dicendum, quod actiones in exteriorem materiam transeuntes inferunt ex se passionem, ut calefactio & secatio, non autem actiones in agente manentes ut sunt intelligere & velle, ut supra dictum est. Et talis actio est prædestinatio. Vnde prædestinatio non ponit aliquid in prædestinato. Sed executio eius, quæ transit in exteriores res, ponit in eis aliquem effectum.

Ad secundum dicendum, quod destinatio aliquando sumitur pro reali missione alicuius ad aliquem terminum: & tunc

destinatio non est, nisi eius quod est. Alio modo sumitur destinatio pro missione, quam aliquis mente concipit, secundum quod dicimus destinare quod mente firmiter proponimus. Et hoc secundo modo dicitur 2. Machabæorum 6. cap. quod Eleazarus destinavit non admittere illi, cita propter vitæ amorem. Et sic destinatio potest esse eius quod non est. Tamen prædestinatio ratione antecessoris quam importat, potest esse eius quod non est, qualitercumque eius destinatio sumatur.

Ad tertium dicendum, quod duplex est preparatio. Quædam patientis ut patitur: & hæc preparatio est in preparato. Quædam alia est agentis ut agat: & hæc est in agente. Et talis preparatio est prædestinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur se preparare ad agendum in quantum præconcepit rationem operis fieri. Et sic Deus ab æterno preparavit prædestinando concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem.

Ad quartum dicendum, quod gratia non ponitur in definitione prædestinationis quasi aliquid existens de essentia eius: sed in quantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causæ ad effectum, & actus ad obiectum. Vnde non sequitur quod prædestinatio sit aliquid temporale.

Prima conclusio: Prædestinatio nihil est in prædestinatis, sed in prædestinante. Secunda conclusio: Gubernatio passive est in rebus gubernatis, sed active in ipso gubernante. De utraque conclusione, quantum opus fuit, diximus q. 22. art. 3.

ARTICVLVS III.

Verum prædestinati eligantur à Deo.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod prædestinati non eligantur à Deo. Dicit enim Dionys. 4. cap. de diuin. nomin. quod sicut Sol corporeus non eligendo omnibus corporibus lumen immittit, ita & Deus suam bonitatem: sed bonitas diuina communicatur præcipue aliquibus secundum participationem gratiæ & gloriæ. Ergo Deus absque electione gratiam, & gloriam communicat. Quod ad prædestinationem pertinet.

2. Præterea. Electio est eorum quæ sunt sed prædestinatio ab æterno est, etiam eorum, quæ non sunt. Ergo prædestinantur aliqui absque electione.

3. Præterea, Electio quandam discretionem importat. Sed Deus vult omnes homines saluos fieri, ut dicitur 1. Timot. 2. Ergo prædestinatio quæ præordinat homines in salutem, est absque electione.

Sed

Sed contra est, quod dicitur Ephes. i. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

autem consequenter, quod est simpliciter velle.

Explicatio Articuli.

Respondendo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem & electio dilectionem. Cuius ratio est: quia prædestinatio (vt dictum est) est pars prouidentie. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem, vt supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet electio & dilectio. Dilectio quidem inquantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum, vt supra dictum est. Electio autem inquantum hoc bonum aliquibus præ alijs cum quodam reprober vt supra dictum est. Electio tamen & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo, eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitatur ad diligendum. Et ideo eligimus aliquem, quem diligamus. Et sic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem est e conuerso. Nam voluntas eius, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ alijs habeatur. Et sic patet, quod dilectio præsupponitur electioni secundum rationem, & electio prædestinationi. Vnde omnes prædestinati sunt electi & dilecti.

Ad primum ergo dicendum, quod si consideretur communicatio bonitatis diuinæ in communi, absque electione bonitatem suam communicat, inquantum scilicet nihil est, quod non participet aliquid de bonitate eius, vt supra dictum est. Sed si consideretur communicatio istius, vel illius boni, non absque electione tribuit, quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat alijs. Et sic in collatione gratiæ & gloriæ attenditur electio.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas eligentis prouocatur ad eligendum à bono in re præexistente, tunc oportet quod electio sit eorum quæ sunt, sicut accidit in electione nostra. Sed in Deo est aliter vt dictum est. Et ideo sicut dicit August. Eliguntur à Deo qui non sunt, neque tamen errat qui eligit.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est. Deus vult omnes homines saluos fieri antecederet: quod non est simpliciter velle: sed secundum quid, non

Conclusio est, secundum rationem prædestinatio supponit electionem, & dilectionem. Pro explanatione huius art. notandum est, primum hæc tria distinguenda à S. Thoma dilectionem, electionem, & prædestinationem. Dilectio est voluntas, qua Deus vult alicui bonum absolute, non comparatione cum alio. Electio vero est voluntas, qua vult vni bonum præ alio, id est, potius vni, quam alteri: hæc enim comparationem vnius cum alio significat. Sed quia electio potest esse ad diuersa, secundum quod Deus diuersa bona vult vni potius, quam alteri, scilicet vitam æternam, aut gratiam; ideo debemus distinguere duplicem electionem, alteram ad vitam æternam, alteram ad dona gratiæ: sicut manifeste August. distinxit, vt disput. seq. patebit. Nunc vero S. Thom. solum intelligere videtur electionem ad vitam æternam, voluntatem nimirum efficacem dandi vni vitam æternam potius, quam alteri: & de hac intelligitur conclusio articuli proposita, vt quibusdam placet.

Deinde notandum est, hoc pacto electionem distinguere plane à prædestinatione, hæc enim est circa media gratiæ, illa vero circa finem, nempe circa vitam æternam: sic manifeste distinguit S. Th. vt colligitur ex hoc art. & seq. & Scholastici omnes antiquiores. Sunt namque recentiores aliqui, qui hæc duo absque ratione confundunt, & pro eodem reputant, prædestinationem nostram factam fuisse sine meritis, & electionem ad vitam æternam; cum tamen hæc duo longe differant, vt disput. seq. & 91. videbitur. Porro prædestinationem esse voluntatem conferendi media gratiæ, plane tradit August. lib. 1. de prædest. Sanctior. c. 10. in principio, & communiter Patres, quos locis citatis commemorabimus.

DISPUTATIO LXXXIX.

An electio ad beatitudinem præcesserit prædestinationem meritum.

Sententia quorundam Scholasticorum, cap. 1.

Electioem efficacem ad gloriam factam fuisse ex meritis gratiæ præmissis, auctoritate Scholasticorum, & Scripturæ probatur, cap. 2.

Quibus Patrum testimonijs eadem sententia ab alijs probatur, cap. 3.

Quid contra Pelagianos, & Semipelagianos de electione nostra contendat Augustinus, cap. 4.

Notantur aliqua, quibus magis aperta fiat sententia Semipelagianorum, cap. 5.

Electioem ad gloriam ex meritis gratiæ præmissis factam putat Augustinus, cap. 6.

Exploduntur oppositiones, quibus recentiores hæc Augustini testimonia infirmare nituntur, cap. 7.

Nihil contra hanc electionem ex meritis docuisse Augustinum, cap. 8.

Electio ad gloriam post merita à priori probatur, cap. 9.

Eadem sententia ex libertate arbitrij ostenditur, cap. 10.

Eadem opinio ex virtute, & efficacia meritum mon-

stratur, cap. 11.

Respondetur testimonijs, quæ probant electionem ad gloriam factam ante merita, cap. 12.

Diuiduntur duæ rationes eiusdem opinionis, cap. 13.

Xx 2

CAPVT